Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Thomas Bartholin

Thomae Bartholini De Morbis Biblicis Miscellanea Medica

Editio Tertia correctior, Francofurti: Hafniae: Pauli, 1692

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767039416

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767039416/phys_0001
DFG

Pr. 119 p. C

F. C-3869.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767039416/phys_0002
DFG

N. 2.

THOMÆ
BARTHOLINI
De

MORBIS BIBLICIS

MISCELLANEA MEDICA.

Editio Tertia correctior.



FRANCOFURTI.

Ex Bibliopolio Hafnienſi.

DANIELIS PAULI, Regii Librarij.
A. C. 1692.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767039416/phys_0005
DFG

THOMÆ
BARTHOLINI
De
MORBIS
BIBLICIS
Miscellanea Medica.

Editio Tertia correctior.



FRANCOFURTI,
Ex Bibliopolio Hæredum.
DANIELIS PAULI, Regii Librarii.
A. C. 1092.

Illustrissimo Viro

DNO. PETRO GRIFFENFELD

De

Griffenfeldgaard

Equiti Aurato,

Ser. Reg. Maj. Dan. Norvv. &c.

à Consiliis intimis

Suprem. Status, & Cameræ

Secretario,

Assessori in Collegio Status

& Justitiæ,

Musarum Amori & Fautori,

Mæcenati suo

S. F. P.

TH. BARTHOLINVS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767039416/phys_0007
DFG

MOrbis mortuisqve veteri Latinorum more hoc mense parentamus. Initia quidem læta nobis effulserunt, cum Fortunæ Natali primigeniæ litaremus, sed elegantissima Tua conjuge flore ætatis & Fortunarum Tibi per fatorum invidiam erepta, jam tecum dolemus fortunæ blandienti credendũ non esse, etiam cum serenitatẽ polliceri videtur. Diutius ista optatissimi conjugii felicitate frui nõ licuit, ut expertus disceres, in regnũ Fortunæ & quidem dubium perveniſſe omnes qui mortalitatẽ induerunt, illius plerumq; arbitrio digna atque indigna passuros. Tu verò qui supra Fortunam virtute Tua & constantia surrexisti, invidiam fortunæ feres maximam, æquo animo. Non fas est accusare iniquitatem fatorum, quæ ex mortali fecere immortalem. Vitam puerpera Tua proli dedit, quã sibi negavit, ut æternã possideret. Felix hæc commutatio, qua in possessione æternæ felicitatis, quæ nescit vices, est constituta. Intrepida vox fuit Vagelii: *Si cadẽdũ est mihi, cœlo cecidisse velim.* Mense Majo malas

malas nubere vulgo ait; sed & bonas parere, sed puerperii, quod inter morbos referimus, crisin funestam experiri, exemplis inviti discimus. Solatium ingenti dolore afferre supra vires meas est, quod apud ipsum Te invenies, qui contra quoscunq; sinistræ fortunæ ictus pectus armatū habes. Ratio luctum prudentibus excutit. Testari tamen contra votū morboso hoc argumēto voluí, quantum me moveant Tua suspiria & insperata felicissimi alias cōjugii detrimenta. Dolorem linient exempla, mitigabit DEVS, & medicinam illi afferet. Plo grætiæ orbitate conferet, quā eripuit. Servet Te incolumen in publicū solatium Ille cujo crucis imaginem in pectore candidissimo sed auro contra æstimando geris, ut prudentia Tua crucē privatā consiliis publicā avertas. Serva Te orbi patriæ, nobis, ut inter tot virtutum honorumque trophæa quasvis minantis Fortunæ insidias masculè declines, nobisq; quæcunq; aura spirit Tibi ex asse addictis, faveas. Demœrore ne plura addam mœrentis animi indicia, ne beatæ Tuæ cōstæ invideas, in mentem revoca Græcorum illud:

Ὃν φιλεῖ θεὸς, ἀποθνήσκει νέος.
Quem amat DEVS, is moritur juvenis.

Hafn. XVII. May. cIↃ IↃC LXXII.

Lecto-

Lectori Salutem.

ALiud agentem ad has pagellas compulit Bibliopola noster Daniel Pauli. Opportunè tamen. Cum enim Opuscula sacra hactenus dispersa, uno fasciculo juncta in lucem proferre animus esset, & de Paralyticis Nov. Test. olim me quædam esse commentatum haud ignoraret, rogavit, de cæteris quoq; morbis in sacro Codice, si quid haberem, bono publico ne inviderem, ut conspectius & majori pompa prodiret Volumen, quod propediem est adornaturus. Arrepto calamo Miscellanea hæc citius in chartam conjeci, quam coquantur asparagi, quæ additamenta esse possunt eorum quæ de Paralyticis repetito Hafnienſium & Basileensium prælo commissa benignè excepisti. Festinationi nostræ vel ignosce vel applaude. Singula in majorem molem excrevissent, nisi negotia alia interrupissent sermonis susceptı filum, graviora mihi quam publico. vale.

Regiæ

Regiæ Hafnienſis Academiæ
Magnifico Rectori & Profeſſori
Honorario

DN. D. THOMÆ BARTHOLINO

Commentarium ſuum de Morbis Biblicis edenti.

ANtè Soporiferæ ſi quem ſ medicamine Virgæ
Perculit injectus ſomnus & Ala potens,
Adami hic altam ſcrutetur mente quietem
Factaque miretur prodigioſa DEI.
Si veterum luctasq; catenatasq; Palæſtras,
Si ſtupet unctorũ membra retorta Virũ,
Angelico Jacobũ proſtratũ robore cernat
Herculea plusquam diriguiſſe manu.
Miratur Daphnen Phaetonteaſve ſorores
Aut propero Aglauron diriguiſſe gelu?
Uxorem Lothi potiùs miretur, &, illam
Quæ abſumſit, ſtatuã congeriemq; Salis
Inque ſinu Moſis cunctâ ſine labe repoſtas
Extractas ſubitâ tabe nitere manus;
Miretur radios diffuſaque lumina Vatis
Ut jubar his cedat vile, Latine, tuum.
Cætera quid memorẽ docto miracula libro
Paſſa meis longè nobiliora modis?
Terra vale nimis arcta petit BARTHLINO
Olympum, In-

Indigetē ut referat hac quoq; parte patrē.
Ille ubi te vigili luſtrarat lumine totam
Quæq; amplo edideras pignora fœta ſinu
Ut perpetuū prodeſſet, in Æthera ſcandit,
Geſta pie penetrans ſenſa q; quæq; Deum
Quosque olim acceptus, nec tunc novus,
Incola haberet,
Maturè cœpit Sanctus adire locos.
Æmula nō aliter ſummi Genitoris Imago,
A Patre tentatum Filius inſtar iter,
Poſtque exantlatos puerili ætate labores,
Qui Juvenes poſſent quiq; tenere Viros,
Poſtque pari Deì inceps ſuperata ſequentia niſu,
Luſtra, nec Annorum ſe revocante mora,
Pergit, &, æterna ut Patriæ ſua ſecula ducat
Summa, ſenex nondum, præcipit orſa ſenum
Jamq; animo ſublimis humum relinqvit, & inter
Sidera divinis inſerit ora choris;
Quoq; beet Mortale Genꝰ Cœleſte referꝰ
Nectare dat noſtræ pocula plena ſiti;
Sic quoque præveniens ſanctè, quæ penſa ſorore
O Utinam cano non niſi ſenta trahant!
Deſine jam Majâ Genitos jactare, Vetuſtas,
BARTHLINIS pietas pandit ubiq; viam.

JOH. HOPNERVS.

THOMÆ
BARTHOLINI
De
MORBIS BIBLICIS.

I.

De somno Adami, an ecstasis vel lethargus?

Gen. II, 21. 22.

NOn somnus dicitur, sed gravis somnus. Id notat textus תַּרְדֵּמָה. Acerbissimus est *Constantino Manassi* in Annal. à Leunclavio Latinè factis: *Adamus somno acerbissimo sopitus est: somno, qui fuit initium eversionis, & omnia perdentis invidiæ.* Profundus autem ille somnus dolorem mitigavit, quem ablatâ costâ sentire debebat. Alias rationes mysticas excutit *Aslacus* noster in Phys. Christ. spec. quæ huc non spectant. Præuntem ille habet *Tertullianum*, l. de Anim. *si Adam de Christo figurabat, so-*

mnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, ut de injuriâ perinde lateris ejus vera maser viventium figuraretur Ecclesia. Idem alio sensu ibidem eleganter ita loqvitur: *Si apud Deum discas, ille fons generis Adam ante ebibit soporem, quam sitiit quietem: Ante dormit quam laboravit, imo & quam edit, imò quam & profatus est.* Symmachus vertit κάρον. Sed in sano integritatis statu adhuc Adam versabatur. Eodem errore tenentur, qui Lethargum reddunt. Revixit ille & statim convaluit, cum à lethargo difficilis sit ad salutem pristinam regressus: Unde non somnum, sed oppressionem appellat *Cœlius Aurelianus* l. 2. Acut. c. 1. Quod si mentis tandem compotes fiant, de cervicis dolore conqueruntur apud *Hipp.* in Coacis, quod pondus capitis vocat *Aretæus* l. 1. Acut. c. 2. Quibus incõmodis non laborans Adam, post somnum rectè ratione utebatur, & promptè munia exsequebatur. Vidi nuper duas lethargo oppressas fœminas primæ notæ, septimo die defunctas, quarum una mentis compos marito illustri ante valedixit, quam exspiraret, altera placidè sine ullo rationis indicio, sensu tactûs tamen nonnihil superstite, sensim nobis erepta. Non malè

lè meo judicio ἔκστασιν hic agnoscas cum LXX. Interpretibus, sed raptum divinum. Ita *Tertullianus* l. de anima cap. Unum esse animam & Spiritum: *Cecidit ecstasis super illum sancti spiritus vis operatrix prophetiæ.* Ecstasis tamē illa in somno erat à DEO immissio, sicut rectè post *Epiphanium* & *Pererium* explicat *Schoochius* Polyhistor.

II.

De Jacobo claudicante.

Genes. XXX, v. 22.

B. *Augustinus* l. 16. de Civ. Dei c. 39. mystice explicat de passione Christi: *Tetigit porrò illi idem Angelus veluti prævalenti* latitudinem femoris, *eumq; isto modo claudum reddidit. Erat q; unus atq; idem Jacob & benedictus claudus*: Revera tamen luxationem cruris passus claudicabat Jacob. *Sulpicius Severus.* l. 1. Hist. sacr. §. 15. *latitudo femoris* Jacob obtorpuit. Malè Josephus l. c. 19. τὸ νεῦρον τὸ πλατὺ vocat, seu latum nervum. Nam nervus luxari non dicitur. Rectius latitudo femoris est caput ossis femoris, quod suo sinu seu vasto coxendicis acetabulo excidit, quale exemplum in Cl.

Rhodio noſtro Patavii habuimus, qui eapropter, quanquam non malè repoſitum fuerit os, toto vitæ curſu claudicabat, ut mirari ſubeat *Toſtatum & Junium*, qui Jacobum die ſequenti ſanatum fuiſſe affirmant, ut ſine claudicatione Eſavo obviam iret. Verius cum *Mercero Hornius* in Not. ad Sulpic. totâ vitâ claudicaſſe, hincq; morem illa parte abſtinendi invaluiſſe. Incurabilem luxationem coxendicum pronunciat *Galenus* l.18.de Uſ. Part.c.2. futuramq; neceſſario cruris claudicationem. Difficilis eſt *Celſo* l.8.c.20. qvum ibi valentiſimi nervi muſculique ſint, ſi ſuum robur habent, vix admittant repoſitionem femoris ſi non habent, poſtea non contineant. Ex colluctatione facilè excidunt articuli. Hinc in ludis Romanorum Medici conducti, ſive chirurgi, pro gladiatoribus læſis luxatisve ut recte *Lipſius* l.1. Saturnal. c.14. etiam ratione victus ſeu diætæ Interpretes cum latitudinem femoris Jacobi obturpuiſſe dicunt, & emarcuiſſe, effectum luxationis aſſeqvuntur, quam plerumque marcor ſequitur.

III.

III.

Uxor Lothi in salem conversa.

Genes. XIX, v. 26.

B. *Augustinus* l. 1. de marib. sacr. script. salis tenuissimam partem, quæ corpori inerat, totum corpus infeciſſe scribit. Confirmat hoc *Mercurialis* l. 6. Var. Lect. c. 26. ex *Hippocrate* J. de Prisc. Med. ubi de amaro, salso &c. quod homini ineſt, ait: ubi horum quidpiam secretum fuerit, & per se exstiterit, tunc & conspicuum fit, & hominem moleſtia afficit. Quod ita ulterius explicat Mercurialis, contigiſſe, atque id, quod fieri quotidie spectamus in Ictericis, seu Arquaticis, quorum intima bilis pars in extimam corporis superficiem restagnans id totum lucidum, amarum, atque aridum & deformatum reddit. Contulit huc operas suas fumo sulphureus ex Sodoma ardente ore facieque ad urbem conversa exceptus, quemadmodum Puteolis vidimus in antro sulphureo exhalitu forti enecatos canes. Quales forsan fuere venti illi qui in Historia Bavarica narrantur pastorem cum grege in petram con-

vertisse. Si traditioni credulæ fides adhibenda, prope prædium Sebyense in Salandia nostra, quod possidet Affinis meus honorandus *Henricus Müllerus* Regius Quæstor simile Spectaculum offertur. Nam ibidem ad littus stagni Tie series saxorum majorum conspicitur, quam pompam esse credunt nuptialem divina vindicta in petram conversam. Sed revera est series lapidum, qualis in monumentis veterum Danorum frequens est, vocaturque vulgo monumenta gigantum, cum sepulturæ locum designent, pro familia aliqua illustri, quibus alibi pro aris Deorum prægrandia saxa adduntur. His verò loco cœmiterium fuisse paganorum vel inde confirmor, quod nuperrimè vicinum colliculum offodientes coloni ad argillam eruendam effoderint urnas aliquot mortuales cum cineribus & ossibus humanis, quas in musæo nostro servamus, cum fibulis, graphiis, & aliis. Firmam salis compagem fuisse vel inde manifestum, quod statua ea temporibus *Tertulliani* adhuc omnium oculis fuerit expositа. Quanquam nostra itineraria eam ignorent. Digni versus sunt qui exscribantur, quia & miranda

randa quædam ibi notantur de ſtatua ſalina. Carmine *de Sodoma.*

Infragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulcrum,
Ipſaque imago ſibi formam ſine corpore ſervans.
Durat adhuc, etenim dura ſtatione ſub æthra,
Nec pluviis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.
Quin etiam ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ſeſe ſugeſtu vulnera complet.
Dicitur & vivens alia jam corpore, ſexus
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.

Majolus dieb. Canic. Colloq. 18. part. 1. ex *Cypriano* recitat hos verſus. Inter dubia Cypriani *Bellarminus* ponit I. de Script. Eccleſ. *Tertulliano* verò aſſerit *Sixtus Senenſis*, quem ſequitur *Pamelius*, quia ſtilus eſt *Tertulliani* nec uſpiam inter Pœtas *Cyprianus* numerantur. Cujuscunque denique ſit, illud quidem in carmine aſſequor; vulnera illa ſtatuæ ſalinæ ſuppleri poſſe allabante aqua, quam in ſui ſtatim naturam convertit ſalina hæc minera, quò modo ſalinæ fodinæ creſcunt: Sed alterum

rum de menſibus in ſtatua fluentibus more mulierum, non pio, niſi ſalis quædam ſit colliquatio ab externo aëre humido. Allegoricè *Philo Judæo* l. de ſomniis hanc metamorphoſin explicat, de iis qui anterioridus neglectis, h.e. virtùtibus earumque operibus, à tetgo relicta ſive vanam gloriam, cœcas divitias, pulchritudinem & id genus alia reſpiciunt. *Salem enim eſſe rem parum ſalidam.* Aliud docet *Petrus Jo. Faber* Pallad. ſpagir.c.11. Salem eſſe principium coagulationis in materia unctuoſa fixa. De ſalu Africano prodidit *Plinius* l.31.c.7.in acervos circa Uticam ad collium ſpeciem conſtrui, qui ubi Sole Lunaque induruere, nullo liquore liqueſcere, vixque etiam ferro cædi: De ſale duritiei lapideæ in Polonia minore videndus *Martinus Cromerus* l. 1. deſcript. Polon.

IV.

Manus Moyſis arida,

Exod.IV, 6.

IN ſinum recondita leproſo candore extracta narratur manus ſingulari impetrantis

tranris Jehovæ miraculo, *Tertullianus* I. de Resurr. Carnis §. 22. lepræ non meminit, sed tabe confectam vel emortuam dicit, indeque resurrectionis argumentum ita nectit: *Cum Moyses manum in sinu condit & emortuam profert, & rursus insinuat & vividam explicat, nonne hoc de toto homine pertendit? siquidem trina virtus DEI per trina illa signa notabatur cum suo ordine* &c. Excusari tamen meretur *Tertullianus*, cum lepræ effectus fuerit membrorum tabes.

Hæc Manus arida in memoriam revocat manus alterius quæ miraculo quodam anno superioris secnli 33. prope Rostochium in ligno arido super lapidem posito excrevit digitis expansis, quæ movebatur & à magno motu sudavit, sudore lapidem irrigante, in cujus adversa parte figurabatur Viri barbati. *Paulus Warnefridus* I. 1. Gest. Longob. c. 4. de septem Viris historiam inserit, qui longo sopore sopiti erant illæsis corporibus & vestimentis: è quibusdam unius habitum quidam cupiditate stimulatus vellet ex uere mox ejus, ut dicit, brachia aruerunt, pœnaque sua cæteros perterruit. Scilicet noxii sunt membris viventium cadaverosi halitus ex tumulis

diu clausis expirantes, sicut variis exemplis alibi probavimus. Historiam recitat Clarissimus Gallorum Medicus *Renatus Moræus*, amicus dum vixit noster in Oratione Inaugurali ad Ludovicum XIII. habita 633.

V.

De Facie Mosis immutata. *Exod. XXXIV.*

AD mutatum corporis habitum facies illa divino fulgore splendens spectat, de qua nos non pauca diximus lib. 1. *de Luce hominis* cap. 12. Ea verò quia ad hoc argumentum illustrandum pertinent, nō gravabor hic repetere in gratiam illorum qvi operæ hujus compendium amant.

Nolim autem vulgatæ nimium fidas versioni, quæ cornutam egredienti Moysis faciem malè posuit. Unde pictorum ortus error. Qui Mosen suis deliniaturi coloribus, binis cornibus exornare solent, ut nummus indicat antiqui Toreumatis Romæ à me inventus, & inflexo arietis in morem cornu cum decalogi præcepto de I-

de Idololatria vitanda signatus cujus iconem dedimus c. 3. *de Unicornu*. Cui similis est alter apud Cl. *Jo. Rhodium* nostratem, nisi quod in rectum obtrusius protendantur cornua, quæ nulla apparent in concinnata Legislatoris effigie apud Cl. *Salmasium* libr. de Coma Christianorum quidem opus crediderim in opprobrium gentis Judææ factum, quæ omni seculo sculpturas damnavit; idque eo magis suspicor, quod malè Judæos habere *Steuchus* Rabbinus auctor est, quia Christiani cum cornibus Moysen depingunt. Revera enim cornua capiti ejus hæsisse, aliquibus firmiter persvasum, ut legi per eum latæ major accederet auctoritas, quod apud *Henricum Salmuth* Notis ad *Gvidonis Pancirolli* deperdita reperias. Nam cornu auctoritatis & excellentiæ nota fertur, ut pro ipso etiam Regno in divino codice 1. Sam. 11. 10. adhibeatur. Alii subtiliori genio cornutum Mosen Judæis apparuisse putarunt, quoniam Lysimachi Regis more concinnos gestavit capillos, quibus & olim usi Armeniæ sacerdotes. Dissimiles in nummo visuntur, quem ex *Lansio* exhibet *Schickardus*. In cornuum sanè formam crines in magnifico æreæ statuæ o-

pere

pere Melitæ intorquentur, quod Mosis simulachrum templo S. Johannis Anno salutis 1550. Galli consecrarunt. Et neque sine ratione id interpretetur aliorsum, ignorare non debet, tale crinium artificiũ cornu appellasse *Juvenalem* Sat. XIII.

Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam
Cæsariem, & madido torquentis cornua cirro?

Quales novæ nuptæ nuptiarum celebritate Venetiis gestant, & de omnibus felicis Arabiæ incolis in descriptione urbis Reane refert *Ludovicus Varthema*. Scribit quoque ex sententia Græcorum Grammaticorum *Cælius Rodiginus* l. 30. c. 1. cornua pro capillis fuisse posita, quia utrumqve eodem modo enascatur. Quin pro luce crines usurpatos ex *Valerio Flacco* l. 2. patet, ne alios advocem:

Astraq; & effusis stellatus crinibus æther.

Ut facilis ad cornua fuerit flexus, pari licentia, qua incurva omnia figuræ vicinitate per cornu expresserunt antiqui vel *Isidoro* monente l. 9. origin. Præsertim verò flumina, quæ per obliquas ripas tortuoso cursu labuntur. Videndæ autoritates

tes l.1.de Luc. Anim. c. 12. Verum has de Moſe conjecturas ſacer textus preſſius inſpectus, & meliores Interpretes de facili diſſlant. Sine cornibus enim fuiſſe Legislatorem extra dubitationis eſt aleam, quæ ſi auctoritatis gratia accepiſſet, fruſtra velamine abſcondidiſſet iis, quibus forent monſtranda, parumque modeſtè Jehovæ remoto velo oſtentaſſet. Veroſimilius enim videtur, crines fuiſſe lumine interſperſos, & cornua nihil niſi ſummi ſpendoris radios ex facie emicantes ſignificaſſe, quibus aſtantium oculi perſtringebantur. Apud Hebræorum quippe gentem Cornu & Radius pari paſſu ambulant, quoniam verbum קָרַן per זָהַר *ſplenduit* exponunt, & *Rabbi Kimchi* idem קֶרֶן à cornu derivat. Quod & latinis placuit, qui cornua luminoſis, vel lumina cornutis aſſignarunt. Lunam quippe cornibus Lunæ dabant ſpeciem, ſolus ſit teſtis *Claudianus* de vitula lib.1.de Raptu:

- Vitulam non blandius ambit
Torva parens, pedibus quæ nondum proterit arva,
Nec nova lunatæ curvavit germina frontis.

Unde caput cervi cornutum micare dicitur apud *Calphurnium* Ecl.6.

Micat

- *Micat acre caput.*

R. Salomon. verò per radios Hebræam originem exponens, vocat קרניהחור cornua magnificentiæ. Cui concors est Chaldeæ versio, quæ gloriam posuit faciei, ad aliorum scripturæ locorum mutationem. Alibi etenim קֶרֶן gloriam notat & decus, quod ex lumine elucet. Ita *Jobi* 16. v. 15. וצוֹלַלְתִּי בֶּעָפָר קַרְנִי saccum consui super cutem meam, *& operui cinere gloriam meam.* Ubi *Jonathan* decorem, & paulò remotiori significatu *Andreas Osiander* substituunt *cornu.* At quò sensu in vulgata versione *carnem* elegerit *B. Hieronymus*, equidem ignoro. Melius certe in *Psalmus* LXXV, 5. v. 6. LXXXIX, 25. CXXXII, 17. CXLIIX, 14. קֶרֶן cornu supposuit, quanquam simili ratione gloriam seu splendorem *Jonathan* maluerit. Explicant autem carneam hanc lucem Hebræorum Magistri, imprimis R. *Salomon*, quod radii in cornu morem reflexi, & Mosaico vultu miscuerint, sicut & radios à sole derivatos cornu speciem præ se ferre, subinde imaginamur. Quo perrinent hi *Drepano* ascripti versus:

Flammea cornuto librantem lumina vultu
Gestatemque sacris jura sacrata libris.

Nec

Nec alia ratione Alexandro Macedoni cornua pone aures in antiquis numismatibus appinguntur, quod in *Observatinibus* nostris Novis *de Unicornu* annotavimus, quam quia caput ejus in summo prælii indici ardore scintulasse referant Historici, si quidem hæc conjectura placet: non nescius interim ad Jovis Ammonis arietem respexisse quam plurimos cujus se filium falsa sacerdotum acclamatione jactaverat Macedo. Quicquid sit, tanta ex Moyse affulsit claritas, ut velo habuerit opus, verba ad populum facturus. Quod ad mysticum sensum trahit *D. Paulus* 2. Cor. 3. v. 13. & 14. obscuris quidem verbis, sed satis intellectis, sed quorum sententia huc fere redit, lucere nempe etiamnum Moysis faciem, nec videri ab Israelitis ob lucis splendorem, qui, ne faciem absorbuerat quasi, ita in veteri fœdere oculos intentius perstringere legum duritie, & typorum velamine à Christo detegendo. Id enim τὸ καταργέσθαι seu *evacuatur* denotasse auguror. Parum ad veritatem *Rabbi Sepharadi* accedit præsentis veli explicatio. Velasse nempe Moysen vultus, cum filiis. Israel loqueretur, quo majorem auctoritatem dictis adderat, amovisse vero velamen

men ad Jehovam converso sermone, quia indignum foret cooperta facie Regem Regum affari. Ingeniosa sanè sed antiquitatem nullam sapiunt, quippe tecta facies caputq; in veterum sacris non majestatem, sed animi indicabat demissionem, ut fusius in *Anatomia nostra Pagana* egimus Unius hic sufficeret *Plauti* testimonium in Mostellaria :

- Quin etiam hoc illi dicito
Facturum me, ut ne etiam adspicere ædes audeat,
Capite obvoluto ut fugiat summo cum metu.

De Megara in Hercul. Furente *Seneca*. Actor. 2. sc. 3.

Namq; ipsa tristi vestis obtenta caput
Velata, juxta præsides astat Deos,
Lateriq; adhæret verus Alcidæ sator.

Plutarchus etiam in Quæst. Rom. inter causas, quare velato capite, non aperto Diis sacra fierent, primum facit, eo habitu animi fassos esse demissionem. Quam antiquorum religionem contrario Christianorum ornatu illudit *Tertullianus* in Apolog. c. 20. *Illuc* (scilicet ad cœlum) *suspicien-*

spicientes Christiani manibus expansis, quia innocui, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus omnes semper pro omnibus. Et ne Græcorum Romanorumque hunc cultum regerat *Sephardi*, idem probo inter Hebræos usitatum, quorum Pontifices sacrarium ingressuri capitis tegmen, quod Cidarim lineam vocant, officiosa ergà Jehovam devotione induunt, ut ex *Exod.* XXIX,6.& XXXIX, 28.31. *Levit.* XVI,4. manifeste colligimus. In hodiernis quoque sacris veteris moris observantissimi, velato omnia capite paragunt. Nõ ergò ob auctoritatem vultum Moyses texit, sed ut splendoris intensi radios ab auditoribus diverteret, quorum radiorum majestatem pie & dilucide D. *Paulus* in æternæ lucis comparatione *2. Cor.* 3. v. 16. propositi. Pressius Moysis lucem introspexit *Clemens Alexandrinus* lib.6. Strom. *glorificatam coloris speciem* agnoscens. In quo splendoris per universam faciem diffusi continuo tractu, nolumus cum pictoribus radios in cornua bina dividere seu eminentes faculas, qui æquali splendore continuam lucem fulsisse inde credimus, quod totam pariter obvelaverit faciem,

nulla distinctio intervallo cornuum differentia. Unde major ex veritate gloria pictorum foret, si non tam cornutam, quam radiatam æquis partibus faciem ducerent, eodem artificio, quo sanctorum capita continuo radiantis coronæ circulo cinguntur.

Cujus quidem coronæ non æque manifesta est origo, atque usus. Inveniemus tamen, nisi nos fallit augurium. Corona lucente illorum tantum verticem circumdederunt, qui divinitatis aliquo privilegio luce insigni seu interna, seu à superis concessa effloruere. Ex luce autem, quam corpora spirare fingebant, pro subjectis ratione, tenore in orbem radii expanduntur nunquam interrupto, qui tamen, quamvis uniti, ob distantiam distincti capitis per exigua intervalla apicibus visui nostro imponunt. Hinc q; artificiosa pictorum manus, ut oculorum lapsum corrigent, effluentem sanctorum lucem seu veram, seu putaticiam integra coronarum serie per penicillum figuravit, quâ alioquin in radios dispersam falso suspicaremur. Fuit & aliorum dignitati concessa radiata hæc corona, qui aliqua luce vulgarium sortem videbantur excedere. Ta-

re. Talem de Augusto filio in somnis imaginabatur Octavius Pater apud *Sultorium* c. 94. *dum videre visus est filium, mortali specie ampliorem cum fulmine & sceptro, exuviisq; Jovis Opt. Max. ac radiata corona super laureatum currum bissenis equis candore eximio trahentibus.* Quod eleganti exposuit *Vellejus Paterculus* lib. 2. *Quum intraret orbem, solis orbis super caput ejus curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, veluti coronam tanti mox Vir capiti imponens, conspectus est.* Latinam pari decoris facie inducit *Virgilius* l. 12. Æneid.

- - cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt
Solis avi specimen.

Nec dissimilis *Ovidio* in Epist. ad Hippol. laudatus:

Quod sit avus radiis frontem vallatus autis,
Purpureo tepidum qui movet axe diem.

Prorsus id in Syria Dea cum *Lucian* admireris, quā ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνας φορέειν, coronas in capite portare narrat, radiis dubio procul immixtas. In *Misanthropo* a-

pud eundem adulator aliquis auream statuam Timoni erigit, ἐφίππον ἐν τῇ δεξιᾷ ἔχιλι, καὶ ἀκτῖνας ὑπὲ τῇ κεφαλῇ. Quas quoque non rarò in veterum nummis advertas. Nimbus vocabatur ejusmodi corona radiata, teste Servio quem ad veri nimbi, qui cœlestia sidera Lunam Solemque ambit, similitudinem depictam haud iverim inficias, ut qvum sub humanæ formæ specie Deos hos colerent, nimbum illorum divinioris conditionis hominibus attribuerit. Sol autem ut Princeps universi lux, radiato vultu ante cæteros resplendet, & splendere fingitur apud *Martianum Capellam* lid. 1. de Nupt. Philol. *solis augustum caput radiis perfusum circumactumq; flammantibus.* Et *Arnobius* disertissimus contra gentes lib. 6. in eandem rem differit: Ecce si aliquis, vobis nescientibus & ignaris, rex urbanus & callidus ex foribus suis solem tollat, & in Mercurii transferat sedem; Mercurium rursus arripiat, & in solis faciat commigrare delubrum, (uterque enim vobis glaber, atque ore confingitur lævi,) *detque huic radios, solis capiti petasunculum superponat;* quibus modis internoscere poteritis, utrumne sol iste sit, an ille Mer-

Mercurius, qvum habitus vobis Deos, non oris soleat proprietas indicare? Confert quoque de sole symbolum suum *Prudentius* lib. 1. contra Symmachum:

Hoc sidus, currum, rapidasque agitare quadrigas
Commenti, & radios capitis, & verbera dextra,
Et frenos faleras q. & equorum pectora anhela.

Radiatis lineis revera pictum fuisse, ostendi antiqua Solis Tabula marmorea, quam ex ædibus Hasdrubalis *Matthæi Marchionis Jovii* Romæ doctissimus *Alexander* publico scripto illustravit. Sexdecim radios præfert numisma vetus Rhodium apud *Ant. Augustinum* Dial. 2. humana specie & capillis dependentibus, quos tamen in Gaditano solis nummo non deprehendit *Jo Bapt. Suarez.* in Antiq. Gaditanis. Per crines, expresserunt Poëtæ, ut notum vel solius *Statii* versiculo lib. 3. Theb.

- - Rutilumq. lavabat
Occani sub fonte comam.

Quo etiam illustribus rotis collinearunt, quibus mundo diem promit con-

ditque Phœbus, candentium & lucidarum nomine venientibus. *Claudianus* recitet de Nupt. Hon.

- - Segnemque rotam non volvere Phœbe

Audiatur simul *Statius l. 2.* Sylv.

Stridoremq; rotæ candentis audit.

Imitabantur hanc radiati solis imaginem fortasse Christianorum primi si recte sententias subducamus, in depingendis sanctis, ne quicquam in claritate Diis viderentur cessisse. Vel forsan ad coronas respexerunt, quid per apices eminent, Deorum proprias, ut largioribus testimonii exponunt Antiquarii. In Iside sane Ægyptia, quam ex gemma signatoria vetere delineavit *Pignorius* Symb. Epist. 23. coronula ad radios cœlestes accedit quam proxime. Sunt tamen, qui coronam orbicularem in sanctorum statuis effictam tantum ob taleolam existiment, ut instantes pluviarum niviumque noxas veluti clypeis à capite declinent: sitque loco pilei, cujus nempe formam accurate effingit antiquissima *D. Marci* statua Patavii in foro piscatorio veteri ad ædem S. Andreæ erecta, olim, ut fama est, Ateste advecta

vecta. Hunc galerum dixerunt excipiendis à sole injuriis usitatum. *Claudianus* l. 1. de Raptu :

- Gallenus adstitit ales,
Somniferam qvatiens virgam, tectusq; galero.

Nec non *Calphurnius* Eccl. 1. de ornite & Corydone colonis:

Nos quoque vicinis cur non succedimus umbris ?
Torrida cur solo defendimus ora galero ?

Cui Tiara non fuit absimilis, quam profulgentibus radiis nimboque in Phœnice posuit *Physiologus Epephanti* plane ad mentem nostram : Τιάραν γὰρ φέρει ἐπὶ τῆς κεφαλῆς : Tiaram enim in capite gestat. De splendenti verò corona plumata hoc accipiendum, lib. *de Luce animal.* de Phœnice exposuimus.

VI.

De morsu serpentum venenato, ejusque medicina.

Numer. XXI, 6.

SErpentes & flatu ignito & morsu urentes describit Moyses, quos in pœnam murmuranti populo vel creatos, vel, quod vero similius, ex deserto advectos immisit scelerum vindex. Fusius de his egimus l. 2. *de Luce Brutor.* c. 10. nec pœnitet crambem hanc recoquere in morborum sacrorum serie, quam orsi hoc loco sumus.

Num. XXI. 6. Cum de aqua & pane impetuosius obstreperent, *misit Dominus in populum serpentes ignitos, qui mordebant populũ.* Post paulo ad frugem redeunte populo, *dixit Dominus ad Mosen: Fac tibi serpentẽ ignitum, & pone illum super signum, ut omnis, qui est morsus, intueatur eũ & vivat.* v. 8. Ubi *urentes* serpentes vetus *Interpres* Venetiis olim editus exponit de iis, qui morsum ardentem infigebant atqui simul toxicum, quod corpus exusit, immittebant. Serpens autem igneus ille erat, qui urentem serpentem similitudine exprimebat, simili flammâ læsa membra sanaturus, eratque æreus signo Crucis appensus, ut omnibus esset spectabilis, si credimus *Interpreti* doctissimo, quanquam

quam modò citato v. 8. de ære taceant *Legislator* solum שָׂרָף exprimens; quod ardentem notat serpentem, sequente tamen v. 9. illius fit mentio. Unde collige ex ære qùidem conflatum, sed in flammæ ardentis speciem. Hinc quia flagrantis erat signum, flagrantes quoque serpentes primos fuisse est necesse, ut *Lyranus* & *Rabbinorum* plerique verba scripturæ, ut sonant, retinentes pro confesso habeant, veras & lethales scintillas igneas, per æra ex serpentibus missas, summo formidinis tormento conscias animas terruisse. Quæ quoque sententia videtur Legiferi *Deuteron. 8. 15. Ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens adurens, & scorpio ac dipsas, & nullæ omnino aquæ.* Cui adversa fronte repugnat *Autor libri*, qui *sapientiam* præfert, cap. 11. 18. 19. 20. ubi iter populi exponens, DEI misericordiam eo nomine presertim laudibus extollit, quod nec nova animalia, nec ignitos serpentes in tormentum miserit: *Non enim impotens erat omnipotens manus tua immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas, aut ignotas bestias, aut vaporem igneum spirantes, aut fumi odorem,*

proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas immittentes, quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectas per timorem occidere. Qui quidem Autor in majus pio Zelo opera Jehovæ extulit, quum Salomon non fuerit, sed, teste *Hieronymo*, Phylo Judæus, unde & Librum hunc ignorant Hæbræorum volumina, & inter Pseudographos numerat idem *B. Hieronimus.* Sane שָׂרָף ubiq; ardentis flammæ figura. Unde Seraphim, de quibus *Esaiæ 6.6. Et vocavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus carbo ignitus, quem forcipe tulerat de altari.* Unum hunc de Seraphim aliqua Divinitatis luce os illustre monstrasse, dicit R. *Jonathan*, servumque sedis gloriæ fuisse, quæ in cœlo supra altare sit. Sed *Joannes Bustamantinus* apud Complutenses Doctor lib. 2. c. 2. de Rept. S.S. contrarium Moysis Salomonisque sensum soluturus: Salomonem de serpentibus ignem ab internis spirantibus aut ab oculis emittentibus egisse fatetur; nou tamen obstante, quin aliqui serpentes ab effectu alio igniti accenderint ærem & inflammarint oris sufflantis ardore. Nempe ignitos vocandos, quia potentius igne, veneno caustícæ & pyroticæ naturæ uti

uti possint, & comburere tandem incendio & æstu, ut febris *ignis* vocantur, & *ignis sacer*, Erysipelas, quod effectus ignis edant. Tales forte essent seps & salpingu serpentes, de quibus *Isidorus* libro laudato, aliique, & omnino communis foret is omnium venenatorum effectus. De morsu tamen solo extant scripturæ loca *Sap.* 16. 5. ubi morsibus perversorum colubrorum exterminati dicuntur, parique fato 1. *Cor.* 10. 9. a serpentibus periisse. Unde & *Rabbi Salomon* ieterpretatur, combustos fuisse eo tempore homines veneno dentium illorum, quo sententiæ flexu capiendum quoque videtur, quod *Esaiæ* 14. 29. dictum: *De radice colubri egredietur regulus, & fructus ejus serpens ignitus volans.* Ad quem locum notat *R. Johann.* ex nepote præditurum unctum, cujus opera in vobis (sc. Philistæis) erunt, sicut serpentis volantis, hoc est exitia, quod in Ezechia impletum 2. *Reg.* 18. Coluber autem serpens esse debet, ut in origine est פֶּתֶן provipera substituendus ex eadem Basiliscus, quem *Hebræorum Magistri* צִפְעוֹנִי nuncupant שָׂרָף autem rectè *Osiander* Ignitum vertit, per Analogiam verò effectus absorbentem appellavit vulgatus Bib-

liorum

liorum *Interpres*: sed quo jure *R. Leon Mutinensis* in Lexico Rabbinico שָׂרָף apud *Esaiam* per Trigidem exposuerit, ipse Doctissimus non moneat. Cæterum hæc, ut dixi, ex eventu ignito interpretatio, omnes ex æquo serpentes in populum immissos monstrat, nec ad certũ genꝰ restringit, quod alii felicius aggressi sunt. De viperæ enim specie, quæ δίψας vocatur, accipit *Paulus Eborus*, cui ab effectu nomen, quod sitim iis, quos sauciat, & veneno suo imbuit, excitare soleat in explebilem, qua, velut ardenti flamma, altiora viscera utuntur. Verum parum ad rem præsentem hæc conjectura, cum expresse dipsas ab illo, qui flatu adussit, *Deuter. 8.* distinguatur; nec sitis ulla populum, quamvis antea ex more lamentantem, vexabat, qũam tantam dispas inferre solet, ut, teste *Galeno* lib. II. simpl. Med. c. 2. & *Nicandro* in Theriacis, prius onere potus dirumpantur læsi, quam à siti liberentur. Nec nomen viperæ convenit, nec natura. Non illud quod שָׂרָף nusquam viperæ accommodatur; צֶפַע quidem illi in *Esaia* jungitur, sed malè per viperam reddidit *Interpres*, quia Basiliscus est notio. Nec hæc, quam unum oviparum sit animale

vivi-

viviparum alterum, parvaque similitudine ad se accedant apud *Galenum*. Nuper *Samuel Bochardus*, Vir Eruditionis profundæ part. 2. de Animal. sacr. script. lib. 3. cap. 13. verosimile judicat, seraph esse hydrum vel chersydrum, quanquam hydrus in aquosis locis nascatur & educatur, qualibus caruit desertum Israelitarum; potuisse tamen aliunde à DEO immitti & accersiri. Pressius rem tangit fortunatissimus in mysteriis veterum indagandis *Fortunius Licetus* qui lib. 3. De Spont. Viv. Ortu cap. 11. Dracunculos ex corporibus Hebræorum morosorum pœna divina exortos credit, eosque adeo malignos divinat, ut eorundem membra crudeliter eroserint, ieroſa inflammarint, inflammata dolore vexarint, ab effectu denique morboso ignei denominationem traxerint. Hoc morbi genus inter Orientales populos sæpe grassatum, ut tanto Viro firma constet autoritas, ex *Plutarcho* docemur, qui ex Argatarchidis mente hic lib. 8. sympos. Quæst. 9. loquitur: *Maris rubri incolæ affectionibus novis & nunquam auditis tentati sunt, nam Dracunculi quidam parvi crura & brachia edentes erupe-*

runt, qui si tangebantur, statim emergebant

bant, atq; musculis infixi minime tolerabiles inflammationes pariebant; hoc morbi genus prius nemo vidit unquam; neque posterius aliis nisi his solis, contigit, ut alia multa. Consentit *Actuarius* lib. 4. Meth. Med. cap. 16. in regionibus supra Ægyptum potissimum provenire Dracunculos. Sed *Galenus* lib 6. de Loc. Aff. c. 3. alterius ad Arabiæ loca refert, & *Aetius* Tetrab. 4. Serm. 2. cap. 85. in Æthiopa collocat ac India, à quibus hodie Lusitanis, qvi Æquatorem peragrarunt, innotuit hæc morbi pestis, ubi frequentiori noxa homines afflari, narravit mihi eorum locorum gnarus *Samuel Chabibi* Hebræus Venetus, Medicusque scripto de Venæ Sectione clarus. In Insula Ormuz. accurate, depingit *Joh. Hago Linschoten* cap. 6. Itinerarii. Unde & ab Æquatore reversi Europæi subinde ingratas has merces secum vexerunt, quas in nauta Belgico vidit olim Experientissimus Joh. Rhodius nostras, ex India reduce, cui suræ manifestè verminabant. Malè autem ex levi inter utramque affectionem forsan diversitate, quæ vel nulla ex Plutarcho Moyseque apparet, vel admodum exitis diversum hunc maris rubri morbum ab illo, qui-

qui Israelitas invaserant, contra *Licetum* induxit *Ezechiel Castrensis*. In minimaquippe re non rarò ludunt tam Natura, quam Morbus, qui eadem facie vix ullum aggreditur. Scrupulum tamen injiciunt Galenus, Aetius, reliquique ad testimonium antea citati, qui pueris fere tantum usitatum hoc morbi genus probant, nec ullum molestiæ aut doloris sensum inferre, nisi abrumpantur. Saniores autem erant Hebræi, & Tormenta experti sunt vehementissima. Sed nihil ad nos hæc à susceptâ opinione dimovent. Quippe *puerili* ut plurimum ætati familiares dracunculos concedo, provectiori rationes, non tamen invisos, ut experientia posterorum persuademur, præsertim quando Naturæ defectum Deum vindex scelerum supplevit. Nec exilitas vermium obstat, quæ indifferens; aliquando enim quoq; majores fuerunt apud *Aetium*, & lumbricis latis ventris assimilati à *Galeno*, *Aeotio & Actoreo*. Tormenta primo affectionis tempore parva sunt, at ubi inveteraverint Dracunculi, liviscit locus & suppurtatur, teste *Aetio*. Ut credere non possim in nervosa musculorum parte dolores abfuisse; nervosos enim appellat *Galenus*

& ex

& ex *Sorano* Paulus *Ægineta* affert, nil esse præter nervi alicujus concretionem. Unde excitatur inflammatio sensibilis partis, & dolor urgentissimus, maximo actus momento, si Jehova pondus adjecerit. Ubi notanda Clarissimi Viri *Lazari Meyssoreni* conjectura, qui venarum quoddam esse excrementum suspicatur, cap. 8. Morb. Nov. siquidem Dracunculi sint, quos à setis les Soyes Narbonenses appellant. Ea quoque fere *Paræ* fuit opinio lib. 7. c. 21. à sanguinis fervore deducentis. *Ab ære nocturno seu rore contrahi* in Itinerario suo nuperrimè *Gallus quidam Anonymus* credit. Tandem igniti vocabulum multis ex effectu attribui notius est, quam ut demonstrem: eo enim ad clypeum fortium ntitur. *Nahum.* 2. 3. idemque sermoni DEI *Proverb.* 30. 5. & *Psalm.* 119. v. 140. Plura de his dixi quam speraveram. Amore tamen Jesu mei pennam implevi, cujus crucem & merita serpens æreus in eremo suspensus præfiguravit, sicut ipse Servator nos docuit, & repetit *Tertullianus* lib. adv. Jud. & lib. 3. contr. Marc.

VII.

VII.

Jobi morbus excutitur,

ex Job. 2.

ANxietatem seu tædium sui, quod fere comitari solet febres, quas *Hippocrates* l. 4. Acut. §. ἀσώδεις appellat, præter alios morbos, habuisse Jobum patientissimum *Stephani Roderici Castrensis* est commentum lib. 2. *Quæ ex quibus* c. 21. Ita quippe ipse *Job.* c. 10. *tædet animam meam vitæ meæ.* Non improbo eruditi viri conjecturam, sed tædium hoc seu antiquitatem ex alio puincipio advocarim. Antequam sententiam meam aperiam, aliorum sunt expendendæ. Inprimis se offert *Joannes de Pineda* Soc. Jesu Doctissimus Theologus, qui Comm. in Job. c. 2. v. 7. 8. omnia ferè morborum externorum & internorum genera recenset, & Jobo applicat. Imo quod miteris, sect. 5. laborasse quoque lue Venerea cum *Vitablo* probat, quem sequitur *Cyprianus Cistercienſis. Paradoxiũ Vatabli* ratione confirmat, nam ex Medicorum Judicio is affectus contagiosus cum ulcere, aut im-

mani cruciatu, variis locis emergit, ac sæpe extuberat, in corpus omne spargitur, & non solum carnem, sed partes etiam solidas pervagatur, universamque corporis substantiam pervertit. Hoc vero morbo fœdissimo, qui cum scortatorum & turpissimorum hominum flagellum sit, Satan voluit Virum honestissimum, ignominiosè afficere. Ita quidem se optimo Castissimoque Viro *Pineda* ratiocinatur, præter rationem divinæ indulgentiæ, quæ ad honesta se extendit, non ignominiosa membrorum genera. Castus fuerat Vir sanctissimus, nec ullâ pravâ concupiscentia aut illicitâ, meruit siniſtram famam. Neque isto Jobi seculo turpissimum hoc morbi genus inter morteles innotuit. Quippe loco illo *Hippocratis* 3. Epid. sect. 3. quem *Vallesius* & *Reusnerus* pro antiquitate hujus lucis afferunt, pestilentiam longè gravissimam describi rectè cum *Galeno* aliisque interpretibus defendit diligentissimus *Sennertus* l. 6. Prax. part. 4. c. 1. ex historiæ evidentia. Nam morbus ille ut plirimũ cum febre invasit, quod non accidit in lue Venerea; & fuit epidemius, cum lues Venerea saltem per contagium, & nullo alio modo fuerit

fuerit disseminata ; longè etiam alia ratio morbi illius, quam lues Venereæ curandæ fuerit. Audet tamen *Pineda* de Joboaffirmare potuisse hoc morbo laborare, nam Dæmonis arte potuit ad ejusmodi intemperiem adduci, ut in malignam illius morbi naturam humores degenerarent. Sed nimium audax est *Pineda*. Dæmon ea fuerit solertia, ut humores ad illam intemperiem flecteret, quam ejus naturæ & constitutioni congruam sciebat. At malignitas hæc quæ spurcum contagium sapit, prorsus aliena erat ab humoribus Jobi, à temperie Jobi castà. Torquet se *Pineda* & præter historiæ omnis fidem asserit, (ut Jobo ægrè sit,) nunquàm non alicubi gentium eum morbum semper pervagatum fuisse. Manus victas dabimus, si id probaverit. Medicorum confessionem pro se adducit, statuentium à contagio fieri : Nam vel abeundum in infinitum, ita ut nunquàm incepisse deprehendatur ; vel sine contagio fieri posse ; disturbatis humoribus & ad insignem intemperiē adductis. Cæterum intemperies ista maligna non oritur, neque orta usquam observata sine contagio à mulieris congressu. Fatetur ipse ince-

pisse luem in Valentia, quo tempore Carolus Franciæ Rex expeditionem Italicam parabat cum elephantiosus quidam nobilis miles ad nobile scortum accederet; quicunque igitur deinde ad mulierem ingressi sunt, eo malo infectos fuisse, elephantiosi in illud degenerante. At nobilis ille miles Hispanus ex india Occidentali id malum secum cum *Columbo* asportavit 1494. deinde in obsidione Neapolitana cum Hispani ob annonæ caritatem, multitudinem inutilem urbe pellerent, Galli scorta eorum Pulchritudine allecti, clam exceperunt, & ita eorum contagio infecti hunc morbum contraxerunt & per Europam disseminarunt. Ita narrat *Fallopius* de Tum. c. 34. ubi contra *Leonicenum* disputat morbum hunc nec ab astris deductum, nec ab ære illuvione Tiberis tũ infecto, nec denique esse Epidemicum. Quanquam *Fioravantius* Empiricus lib. 1. Capric. Medicinal. c. 27. à mortuorum hominum carnibus, ciborum penuriâ tam, ab obsessis quam obsidentibus Neapoli comestis, originem luis derivet: tamen ad eluendam vel excusandam gentis ignominiam id finxisse credo. Quæ si vera origo, non miramur, quod Indis anthropopha-

pophagis familiaris autea fuerit. Non id tamen credo. Sed unde apud Indos originem traxit, ut, quia contagium defendimus, Pinedæ satis faciamus? à DEO libidinis vindice immissum, dubitare non possumus. Id vero Jobi ævo factum, nemo idonea authoritate dixerit, posterioribus seculis futurum Dæmon divinare non potuit, uti in Jobo affligendo præverteret novi morbi inductione divinam vindictam. Verius concludit *Pineda*, Jobi elephantiasin non longè ab ista luc abfuisse, sed male jungit dæmonis sævitiam in illa elephantiasis mutatione procuranda. Rectius voluntatem dixisset, si morbi istius ullam præcognitionem habuisset. Cæterum elephantiasin Jobo plerique affricant, etiam *Sennertus* l. 5. part. 1. c. 40. cui similem faciunt Lazarum Luc. 16. Negari non potest in Palestina familiarem illam scabiem fuisse. Etiam in Ægypto vicina. Ita enim *Lucret* l. 6.

Est elephas morbus qui Nili flumina propter
Gignitur Ægypto in media, neq; præterea usquam
Arthide tentantur gressus, oculique in Achais

Finibus. - -

Ea notæ elephantiæ apprimè conveniunt, à *Celso* recensitæ lib. 3. c. 23. *Totum corpus afficitur, ita ut ossa quoque vitiari dicantur: summa pars corporis crebras maculas crebrosque tumores habet: rubor harum paulatim in atrum colorem convertitur. Summa cutis inæqualiter crassa, tenuis, dura, mollisque, quasi squamis quibusdam exasperatur, corpus emacrescit, os, suræ, pedes intumescunt. Ubi vetus morbo est, digiti in manibus, pedibusq; sub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem consumit.* Passim de his symptomatibus conqueritur Jobus. Denigratam cutem deplorat c. 30, 30. cutis duritiem & asperitatem c. 16, 10. & cætera quæ singulis paginis leguntur. Ad squamas & pruritum testâ utebatur; quia fuctionem ungùibus perficere non potuit quam in elephantia commendat *Celsus* l. c. Inepti enim erant ungues, quia digiti sub tumore conduntur inista scabie. Difficultas tamen nos remoratur, quod *ulcus* vocetur Jobi morbus. At verò cœcepis in comm. Job. certum genus ulceris hic definire, esse vaticinari scribit שְׁחִין est inter plagas Ægypti,

pti, quam & Israelitis comminatur Deut. 28, 27. 35. At quo modo ulcera sine insigni & dolore & symptomatis malo testâ radi possint, non video. Sine dubio pro quovis tumore & scabie postulisque ulcus hic accipiendum. Ita lata significatione *vulnera* vocavit *Cyprianus* serm. De bono patient: *Accedit vulnerum vastitas & tabescentes ac defluentes artus vermium quoque edax pœna consumit.* Nisi frequenti asperoque testæ rudioris contactu in ulcus degeneraverit scabies ista, quod sæpe contingere observamus. Quid si de Ulcere Syriaco cogitemus? Ulcera tonsillarum maligna Ægyptiaca & Syriaca appellata describit accurate *Aretæus* lib. 1. de Caus. & sign. Acut. morb. c. 9. cujus verba per interpretem *Junium Paulum Crassum*, quem sequitur *Henischius*, repetemus, ut conspectior fiat ulceris hujus cum ulcere Jobi affinitas: *Dolor quidem acer, & calidus, qualis in carbunculo, spiritus vitiatus: Exhalant enim maximæ putredinis odorem, eundemque vehementer in pectus spirando adducunt. Immundi adeo sunt ut neque suum ipsorum odorem ferre queant. Pallida his seu livida facies, febres acutæ, sitis, ut igne accensi videantur, potum*

tum veriti dolores non admittunt. Tristantur enim cum tonsillæ comprimuntur, aut potus in nares resilit, quumque decumbunt, surgunt ut sedeant, decubitum non ferentes, quod si sedeat, quiete carentes, iterum decumbere coguntur; plerumque autem recti stantes obambulant: Nam quiescere nequeunt. Solitudinem fugiunt, dolorem dolore tollere tentantes. Inspiratio magna est exspiratio verò parva, num veluti igne exusta ulcera cum sint, à calido præterea spiritu incenduntur, Raucitas adest: Vox nihil significat. Atq; hæc in pejus ruunt, quum subito in terram collapsis anima deficit. Singula symptomata accuratius conferenti patebit Jobi ulcus. Ægypti & Syriæ ulcera vocantur, quia ibi frequentia. Jobus Idumæus erat, teste *B. Augustino* l. 13. de Civit. DEI c. 47. & Syriæ pars est Utz, ut *R. Salomon.* autor est, in qua degebat Job. Synanchin habuisse ipse querulus fidem fecit, cum quasi laqueo, tumore faucium halitum intercludente, strangularetur. Ita & censet *Philippus* & *Beda*, quos sequitur *Pineda*. Febri torrebatur, qua omnia ossa arefecta. Ulcus ipsum שְׁחִין à *Calore* dicitur monente *Mariana*. Sahan enim Chaldæis calefacere

3. *Reg.*

3. *Reg.* l. 1. Inquietus erat animo & corpore, ſicut apud *Hippocratem* 5. Epid. Parmeniſcus, qui adeo ſui tædio tenebatur, ut cuperet è vita diſcedere, cui ſimilis alter cui progreſſu temporis advenit πίπασμὸς ſeu jactatio coporis quod chariti 7. *Epid.* accidit, quæ ſtragula rejiciebat. Dolorem autem ulceris dolore teſtæ mulciebat Job. Ne verò credamus tonſillarum ſolum eſſe vitium, primo cerebri quoq; regionem incuſat *M. Aur. Severinus* in Pædanchone. Cui ſvaſioni favet anatome complurium corporum vi morbi hujus, qui iu Calabria & Sicilia graſſabatur anno ſeculi currentis 18. enectorum iu quorum capitibus ex ſectis reperti grumi ſanguinis lato ſchemate diffuſi ſub maximos ſinus membranæ craſſioris, unde hæmorrhagia narium in plurimis ſucceſſit. Nec cor immune eſt, venenoſis halitibus cum pulmone infectum, nec ventriculus labem effugit, qui excepta ſanie per œſophagum inquietatus, ut naturalibus actionibus defungi nequeat, hinc ad univerſum corpus ulceroſa diſpoſitio manat. Pulmonibus ulcera cacoethe infligi in Infirmiorum Hoſpitio per anatomicam ſectionem obſervavit Panormi *Marc. Anton. Alymus* in

Consult. de Ulc. syriaco pag. 59. Alios idem macie indies consumtos vidit, quia appetere non poterant nec absumptam ciborum persimoniam digerere, qui in maximas ventriculi angustias incidentes, multos lumbricos evomebant, post quorum mortem ventriculi fundum ulceratũ adinvenit. Tales sanè fermes in Jobo quoque *Cyprianus* supra laudatus agnovit. Cerebrum igitur, gula, cor & ventriculus ulceribus malignis in Syria grassantibus cum infecti fuerint, non mirum difficillima symptomata enata, quæ passim in morboso Jobi statu recensentur. Illustrat argumentum hoc ipsa curatio per cinerem. Sedebat enim ulcerosus Vir in cinere, & medelæ gratia & humilitatis indicio. אפר *Epher.* cinis, pulvis, locus nempe pœnitentiæ *Jon.* 3. ipsa Jobi confessione c. 42. 3. 6. *Insipienter locutus sum, idcirco ago pœnitentiam in favilla & cinere.* LXX. *Interpretes* κόπρια reddunt, quos sequutus *Vulgatus* sterquilinium vertit, & cum eo non pauci. Quanquam ulceribus non inconveniens sterquilinium sit, tamen majorem cinis antiquitatem habet. In luctũ & pœnitentiam cineribus aspergebantur veteres, præsertim Judæi. Huc tra-

trahunt *Matthæum* c.6, 16. ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα, Velant faciem scilicet cineribus, quod *Joannes Ligtfootius* Hor. Hebraic. ad Matth. ex Rabbinis confirmat. Nam *Taanith.* cap. 2. *In publicis jejuniis accipit unusquisq; cineres, ac imponit capiti suo.* Consuluit eadem opera ulceribus suis Vir ille patiens & fortunæ ludibrium. Cinis enim ulcera siccat, mundatque *Dioscorides* l. 5 c. 135. escharoticis, sive crustas obducentibus medicamentis, miscet sarmentorum cinerem. Cum tam solide curet, & magis stringat, *Galeno* monente, vel quisquis autor est libelli de simplicibus medicaminibus ad Peternianum. Qui ad rem nostram ita porrò loquitur: *Ipse cinis in recentia vulnera in profundum positus sanguinem statuit à cursu. Ideoque omnibus pecoribus castratis cinis impositus prodest, omnibus abscissis. De sarmentis tamen olivæ cinis acerrimus est, & ex nucleo solo acrior est, & ex hoc lixiviæ, vulnerum cancerata auferti etiam acriore lixivia sordida vulnera lavanda sunt.* In ulcere Syriaco, seu maligno faucium ulcere Aræteus lib. 1. de Curat. acut Morb. c. 9. ad exsiccationem, medicamenta arida inspergit penna. Ingens

scru-

scrupulus supereſt, cui amovendus omni ope Febris acuta ulceri Syriaco jungitur, cum Jobi morbus chronicus fuerit. Nam LXX. *Interpretes* tempus multum vocant. *Chryſoſtomus* multos menſes numerat. *Origines* tres annos cum dimidio, *Suidas* ſeptem definit. Nihil aſſerit *Pineda* qui dignus eſt ab omnibus eruditis legi, longum tamen tempus concedit, ſic enim exigere tentationis gravitatem, Viri probatam conſtantiam, & aliorum regum adventum, ad quos non ſubito nec omnino brevi tempore fama pervenit. Sed ad morbi hujus morem *varium reſpiciens Severinus*, Vir acuti ingenii & magnæ experientiæ, duas formas ejus obſervavit, quarum altera eſt acuta & ferme furioſa: altera prope ſedata & lenta, quas fortaſſe determinat temperatura corporis, humor prævalens, habitus, ſenſus, mos, & hæc quidem in eadem urbe, oppido, ſpago: cæterum in longinquis & diſſitis locis binos hos duos morbi mores definiverunt quoque conſtitutio & tempus anni, aer, aqua, loci victus, & cæteræ quædam occaſiones aut cauſæ. In calidioribus igitur regionibus, in temperamento calido & bilioſo, ætate juvenili, breviora tempora,

pora, conficit ulcus Syriacũ, in frigidioribus tardiori pede tempora ſua emetitur. Jobi temperies temperata, cumulatis animi mœrore craſſioribus frigidioribusque humoribus, ætate confirmata & ad frigidam declinante, morbi acutas periodos tardavit, quo etiam operas ſuas Dæmon contulit, qui ad temperiem ejus morbum accommodavit, ut diutius eum in tormentis haberet. Parum enim abeſt quin Scorbutum acceſſiſſe credam à melancholicis humoribus excitatum in homine tot ærumnis defatigato, quem velut pilam verſavit Dæmon. Tot enim pravis ſymptomatibus affliguntur ſcorbutici, ut Dæmonis inſtituto convenientiſſimus fuerit morbus Jobi tormentis augendis. Cauſæ præceſſerant; animi mœror ingens propter amiſſa bona, conjugem liberosq; amiſſos, æris conſtitutio ad littora Syriæ maritima victus pravus exinopia rei familiaris. Hinc humores pravi & melancholici coacervati, & ſeqvutus effectus nempe totius vitioſa conſtitutio, unde lancinationes, inquietudines, dolores, ulcera ſcorbutica, cutica, cutis denigratio, & mille alia mala, quæ ſcorbuticos vexare ſolent, recenſita diligenter à *Severino*

Evga-

Evgaleno libro de Scorbuto. Dentium mobilitas & gingivarum taxitas lanta in Jobo, ut cibum capere non potuerit, quanquam id ad oris labiorumque exulcerationes referat ex *Origine Sanctius*. Provocabat Satanas Scorbuticum malum, ad quod naturæ tum corruptæ vitio propensus erat. Ita inevitabimus cætera incommoda quæ aliorum ulcerum difficultates inferunt. Chronicus enim est hic morbus & vitæ ærumnosæ tædium affert incredibile. Non nomine quidem, sed sympomatibus notus fuit olim Scorbutus ipso *Hippocratis* ævo, qui lib. de *Morb. intern.* & l. 2. Prorhet. magnos lienes vocat, ulceraque & pustulas, & cætera scorbuticorum mala graphicè descripsit. *Æginet a* & *Aretæus* per icterum nigrum exprimunt. *Strabo & plinius* Stomacacen & Seelotyrben nominant, Romanisque innotuisse perhibent. De quo alii fusius egerunt. Nos plura non addimus.

IIX.

De lepra Judæorum.

Extra

EXtra Urbem Jobum locāt qui Elephantiasin illi affingunt, quia lege Divina, ne inficerent alios separari ab aliis jubebantur leprosi. Hinc ad lepram devolvimur, olim inter Hebræos familiarem. De qua tamen parci erimus, quia aliorum pennas libros que ad satietatem implevit. De Elephantiasi Medicos consulat, cui volupe, in primis *Hollerium* l.1.c.64. & ejus Enarrationes *Duretum*, *Valetium*, *Hautinum*, qui omnium votis satisfacient. Varia problemata jucunda ventilat *Mercurialis* multiscius l.3. Var. Lect. c.20. Cur nempe castrati non fiant leprosi? & Cur Elephantici veneris magno appetitu stimulentur? Ubi etiam *Aetium* damnat, qui l.13.c.125. elephantiasi correptos generandi gratia cum mulieribus aliquando consvetudinem habere consuluit: esse enim non modo malè affectos jugulare, sed etiam reliquos peste inficere, morbosumque genus humanum reddere velle. *Aetii* tamen ratio hæc est tetr. 4. serm. 1. c.125. non in totum contagiosas successiones ipsius affectionis in omnibus fieri, præsertim si quis optimè dispositus ad venerem incitetur. Novi certè lue Venerea

rea infectus ex uxoribus sanis suos liberos suscepisse, nullo contagio aut matrem aut liberos obnoxius. Caute vero monet per rariora intervalla coire posse, cum ante coitum affectioni infestissimum pronuntiarit. In statu igitur convalescentiæ coitum rarum concedit, si quis optimè dispositus & semine jam in melius vergente, incitetur ad veneris amplexus. Addit ibidem *Aetius*, si non succedat curatio, quam eo capite Instituerat, procul à mari? & urbibus, segregandos. Cur procul à mari? scilicet ne commoditas concedatur naviculâ habitata alia loca *invisere*. Nam antea & natationes in mari concessit, & ex mari cibos. Nisi à mari idcirco arcendos jubeat, ne per natationem inficiatur aqua, aliorum usibus inservitura. Ab urbibus segregandi, ne consvetudine sua scabiem aliis affricent. Rectè alibi idem Aetius tetr. 4. s. 1. c. 120. ex Archigene, malum esse affirmant cum ipsis conversari; inquinatur enim aer quem inspirando adtrahimus, ex ulcerum fœtore & ex vitiata spiritus exhalatione. In Evangelio procul stabant leprosi & *Canone* 37. Concilii Aucyrani præcepit sancta synodus, qvi leprosi sunt vel fuerunt, inter eos orare,

qui

qui spiritu periclitantur immundo. *Num.* 12. Maria soror Moysis lepra percussa, separata fuit extra castra septem diebus. Hanc legem veterem mysticè interpretantur *Canones Pœnitentiales* Juri Canonico affixi pag. mihi 1255. *Mariam scilicet significare pœnitentem. Interpretatur* (sit venia verbo) *enim amarum mare. Hæc pœnitet septem diebus, sed nunc pœnitet septē annis, quod significatum est Ezech. 4. diem pro anno dedi tibi.*

Cur nunc tam frequens non sit apud Judæos, quàm apud Christianos, rationem reddit *Buxtorfius* Pater Synag. Judaic. c. 33. partim quod pauci sint cum Christianis collati, partim quia temperant sibi à multis cibis, aliisque rebus, ex quibus hic morbus concipi potest. Cibos enim quod attinet, quam fieri potest, legem Moysis observant. In nullo tamen tam pervicaces sunt, ac in carne suilla. Nihilominus tamen leprosi quidam inter illos exstant, ut Antonius Margarita Pragæ suo tempore quosdam repertos esse, testatur. Adddo liberiores jam esse, quia frequenti exercitio utuntur ad querendum victum. Christiani quoque non ita

infecti eo morbo deprehenduntur, ob variolos frequentes. Olim certè familiaris erat lepra in Insulis nostris Borealibus Feroensibus & Islandia, sicut Nosocomia ibidem exstructa testantur, quæ nunc vacua ruinam minantur. Ignorare me fateor, quia sit Morbus Regius de quo prolixè disputat *Zacharias* Papa I. Epist. 12. ad Bonifacium. Nisi valdè fallor, cum lepra confunditur. In primis Judæi morbum effugiunt abstinentia à carne suilla, cujus caro insalubris creditur & lepram generare. Quanquam enim *Celso & Galeno* suilla caro inter domesticas quadrupedes levissima putetur, *Mercuriali* tamen placet l. 3. Var. Lect. c. 8. Judæos ob sanitatem potius non vesci carne suilla, quàm ob superstitionem. *Plutarchi* autoritate se tuetur, qui 4. Symbos. Probl. 5. rationem reddens cur Judæi carnibus suillis abstinerent; omnem suem, ait, sub ventre, lepra ac affloreſcentiis refertam ferè esse semper, quæ nimirum ob malum quendam habitum, atque corruptionem corpori ingenitam in corporibus summis efflorescere videntur. Bestiæ quoque hujuscemet circa victum sorditiei pravitate non caret. Cæterum malè caro suilla in sa-

in sanis damnatur, cum ex *Hippocrate* cæterisque ad unum ferè omnibus Græcis, Latinis & Arabibus inter valentissima alimenta numeretur, quibus etiam athletæ & alii ad robur corpori acquirendum vescebantur, validissime enim nutrire ob glutinosum succum, qui partibus affixus non facile discutiatur, sicut post *Galenum* l. 2. Meth. explicat. *Petrus Castellanus* l. 2 de Carn. Es. c. 5. sed requirit exercitium & stomachum idoneum *Hippocrates*. Iudæis quidem noxia caro suilla esse non potuit, quia calidiori ventriculo & æstuante prædita facilè superabant noxas, si quas habeat. *Simeon Sethi* humidos ventres negat bene concoquere suillam. Nec deerat illis vinum, quod *Schola Salernitana* huic escæ adjungit. In Syria leges patrias carnem suillam prohibuisse Dominus Philosophus apud *Suidam* testatur, sanitatis tamen causa cum esset hæmoptoicus, somnio Æsculæpii parens, suillas carnes comedit & iis semper vescebatur. Glutinoso enim humore ora venarum in pulmone potuerunt solidari. Non igitur Iudæi suem aversantur, metu lepræ, à qua immunes per DEI gratiam sunt patriæ incolæ, quibus cottidianus fere est ejus cibus

Memini *Burrhum* ejus fuisse sententiæ, carnem suillam quidem lepram inducere, sed corio inhiberi, quo minus vel sues ipsi vel comedentes lepra consumantur. Imo ad lepram curandam ex sanguine suillo spiritum extraxit. Politicam rationem habuisse Iudæos vero fit simile, cur postea suem exosum reddiderint, quæ deinde vim legis obtinuit vel superstitionis. Esus lege divina prohibitus fuit. Sed ipsi Iudæi porcos quoque alere venerunt, ne quidem ut ungantur iis pelles, quod ex Cod. 1. Ebr. c. 7. §. 7. & ex *d. Ascher.* annot. ad Misnam docet *Const. L'Empereur.* Scilicet nolebant porcos alere ne agros Palastinæ effoderent, & inquinarent fertile solum. Hinc maledictione prohibitum est Iudæis canes alere & porcos apud *Maimonidem* aliosque. Canes quidem alere permissum, sed catenâ ferreâ ligatos, ne nocerent morsu, quanquam etiam posterioribus seculis pro dedecore habitum sit portare canes, de qua Κυνοφορία eruditam edidit epistolam Cl. *Joh. Heinrc. Meib.* Antiqua quoque vestigia extant. *Homerus* Odyss. XI. de quodam apud inferos: Olim me huc misit, ut canem ducerem! non enim aliud existimabat hoc mihi

mihi gravius esse certamen. Prohibita quoque fuit inter Iudæos mercatura cujusvis rei immundæ, quod ex Glossa in *Kama* illustrat, *Ligtfootius* in Matth. 8, 30. unde vel Ethnicorum inter Iudæos Gedarenos habitantium porci fuerunt, de qvibus eodem capite Matthæi agitur, vel Iudæorum, quibus dulcis odor lucri ex re qualibet. An verò lege ulla DEI, porcos alere Iudæis prohibitum sit, ipsi viderint, qvi tam sunt tenaces præceptorum divinorum, sæpe tamen ipsis sibi leges præscripserunt. Originem hujus interdicti tradit *Josephus*, lib. 13. & 14. & ex eo *L' Empereur* l. de Legib. Hebr. ubi Germanorum Doctorum verba afferuntur. Hodie abstinent à carne suilla propter longam consuetudinem, sicut fatentur ipsi in *Historia Judaica* edita à *Gentio*. Immunditiem enim non considerari, exemplo Gallinarum demonstrant, quæ in sterquilinis victum querunt. Cur cibi alii immundi Hebræis, alii mundi, cum omnia bona à Deo creata sint, disputat *Tertullianus* Epistol de cibis Iudaicis.

IX.

Senis Davidis remedium.

1. Reg. 1.

SEnex David aliter calefieri non poterat, quam accubitu virginis pulchræ. Senectutis hæc credebatur levamē, & caloris pene extincti fuscitabulum. Iuvenculæ enim calor sive oſculo sive corporis contactu excitatur debilis senum calor, sicut lumen *candelæ* penè deficiens admoto alio lumine reviviſcit. *Nihil* hic turpe commiſſum à ſancto Rege, à qua culpa abſolvitur in progreſſu capitis. Nec aliter de pietate Regis judicat *Fl. Joſephus* l. VII. C. 11. Ex communi inquit Medicorum conſilio decretum de Abiſace: quæ cum Rege algioſo cubitans, nihil aliud quam recalfaciebat; jam enim præ ſenio advenereas res elanguerat. Contactus ſufficiebat, quo per venas ſeniles juvenculæ blandus fotus; ad cor per circulationem delatus, corpus frigidum refocillabat. Ita Barbaroſſa ætate extrema, conſilio Hebræi Medici, puerulos continuè ſtomacho & illis pro fomentis applicaſſe

ſcri-

scribitur. Catellorum idem effectus, quos non malè abdomini ægrotorum insternimus. *Rabbi Moyses* Aphor. 30. sive *Jo. Damascenus* editus cum eodem Moyse, paralyticos multum juvare prodidit, si adolescens puella lateribus apponatur, caloris naturalis causa. *Ficinus* igitur ait, Davidem contubernio puellæ, aliàs salubriter, sed nimis serò usum fuisse. At *Verulamius* in Hist. Vit. & Mort. addit, quod puellam illam, more Virginum Persiæ, oportuisset inungi Myrrha, & similibus, non ad delicias, sed ad augendum virtutem fomenti ex corpore vivo. Gratior verò est sanæ pulcræque virginis calor & conspectus, omnibus odoriferis. Patet corpus crebris foraminibus cutis magnis parvisque quæ poros cutis vocamus, per quæ communicatus à puella calor ad interiora commeat viscera, quanquam Transfusione ipsius sangvinis, quam nuper curiosa ingenia in Italia, Germania, Gallia & Anglia tentarunt, juvenescere potuerit David, si ad nostrum seculum fata illum servassent. Accessit solatio Davidis gaudium ex conspectu & accubitu pulcricomæ Veneris, quo non parum incalescere potuit. Verè enim filius *Salo-*

mon Prov. 27,22. *Animus lætus bonam facit medicinam; spiritus autem fractus exsiccat ossa.* Et ad rem *Hippocrates* 2. Aph. 23. *in quovis morbo animo bene valere, ac rebus convenienter datis gaudere bonum.* Hinc Musica pro morborum multorum curatione apud veteres advocata, ut etiã melancholiam Saulis lyra sua David junior composuerit, de quo quia in *Paraclitico Primo*, & *Quæst. Nuptial.* 7. egimus, hîc actum agere nolumus.

X.

Ezechiæ curatio perficum.

2. *Reg.* 20.

DE morbo ferram controversiarum ducunt eruditi. Pleuritidem fuisse censet *Petrus Hispanus*, postea Pontifex *Joannes* XXI. in Thesauro pauperum c. 26. Pestem alii, unde in bubonibus pestilentialibus solas ficus coctas & pistatas cum pauxillo butyri veteris & theriacæ mistas felici-

feliciter in peste Noviomagensi applicabant, teste *Diemerbræck* l. 3. de Peste c. 12. §. 12. Ego anginam subfuisse ausim affirmare, quæ, qui per acutus morbus, tertio die perimere solet, qua Ezachias Dei manu evasit. In hac certè ita angustanter fauces ex inflammatione & tumore, ut vix per sibilum verba exprimantur. Hinc pipire se dicit *Esa 38.* Maligna illa fuit & pestifera, cui & leniendæ & maturandæ ficus conferunt durities discutiunt, parotidas & furunculos emolliunt, panos maturant apud *Dioscorid.* l. 1. c. 183. Movere pus & evocare ficum aridam decoctam *Celsus* quoque consentit l. 5. c. 12. quo cum facit *Levinus Lemnius* c. 19. de Herb. Bibl. Ad inflammationem potius sedandam, quæ magis surgebat, quam ad ulcus, respiciendum judicat *Johannes de Mey* Comm. Phys. part. 2. c. 4. cui nulla ratione melius subveniri poterat, quam admoto cataplasmate ex carne caricarum cum farina hordei, si resolutionem admittebat inflammatio, sin minus, cum farina tritici, ut facta suppuratione mitescerent febres, & reliqua accidentia. Utrique igitur malo, quia in ulcere faucium jungebantur, tumor nempe & inflammatio,

ficus

fiscus conveniebant. Inprimis abscessui periculoso. Nam *Aetius* tr. 1. serm. 3. c. 179. Cataplasma conficit abscessibus, qui non facile maturi fiunt, ex ficubus coctis cum hordeacea aut triticea farina. Curatio vero ista per ficum supernaturalis, fuit & naturalis utrectè differit *Hier. Bardus* in Med. Cath. Pol. §. 7. Art. 3. cum trium dierũ spatiũ pro curatione, qua è lectulo surgere poterat, assignetur, cum statim potuisset DEI virtute à morbo dicto citius convalescere. Tertio autem die, tanquam critico in peracutis, senari debebat.

XI.

De Asæ Regis arthritide.

2. Chron. 16.

HIc cum ægrotasset anno 39. regni sui dolore pedum vehementissimo, dum nimium Medicis eorumque manibus defert, oblitus ipsius DEI, dormivit cum patribus suis. *Bardo* probabilius videtur ab ipsa podagra trucidatum fuisse, nullo alio intercedente morbo, adeoque naturali

rali progressu ipsius morbi, dum tandem Regem occideret Dei permissione. Contrarium sentit *Sebastianus Baldus*, cum haud videatur probabile ex podagra longa satis morbo Asam potuisse mortem oppetere, sed potius ab humorum recursu seu diadochi, in aliquam principem partem novo emergente morbo quemadmodum pleuritico accidit, si in Empyema incidat; is enim non jam pleuriticus, sed empyematicus obibit *Hippocrati* 5. Aph. 8. Uterque amicus probabilia affert. Nam & hic & ille verus esse potest. Noti mihi podagrici solo dolore tandem consumti. Alios per metastasin humorum ad viscera nobilia, alio superveniente morbo, occubuisse observavi.

XII.

Jorami morbus Intestinalis.

2. Chron. 21.

Biennio exacto, longa tabe consumtus egessit intestina sua, mortuusque est infir-

infirmitatibus malis. Quodnam morbi inteſtinalis genus fuerit, non ſatis liquet. Dyſenteria tormina quidem in inteſtinis provocat, ſed longus morbus non eſt. Hernia inteſtinalis in longum tempus extenditur, ſed doloroſa ſemper non eſt. In umbilicali tamen, magno cruciatu effuſa ex abdomine inteſtina, vidimus vitæ filum abrupiſſe. Teneſmum & fiſtulam *Hieronymus Jordanus* in libro, de eo quod Divinum eſt in morbis, cap. 32. ſuſpicatur huc quadrare, quo mortis genere obiit optimus Titus Pomponius Atticus; ſed inteſtina in neutro affectu egeruntur, ibi vellicantur, hic perforantur, in ſede tamen manent. Et prognoſticum eſt *Celſi* l. 4. c. 18. Teneſmum nunquam per ſe jugulare. Niſi Dyſenteriæ illa ſit ſpecies, de qua *Gal.* 3. Cauſ. ſympt. c. 2. Divinitus immiſſa illi paricidæ hæc eſſe tormenta, ſacer textus aſſerit. Ita & *Joſephus* l. IX. Antiq. Jud. c. 3. per interpretem *Gelenium*: Id malum in ventrem ejus ingruit, ut manifeſto iræ divinæ indicio, miſerabiliter periret, videns quotidie per ventrem inteſtina defluere. Magi ope dæmonis ſubinde creduntur maleficio ſuo inteſtina torquere, ut doloribus acutiſſimis

mis, punctionibus, inflationibus & borborygmis intolerabilibus, quasi duo aut plures gladii adversi fuerint infixi, miserandum in modum excruciari passim leguntur, quod defendit *Jordanus* laudatus. Major in impios Dei potentia, ut excruciet eos quos odit. Percussit Joramum in intestinis hac infirmitate, cui nullum remedium supererat, concitatis ex impuro impioque corpore adustis biliosisque humoribus ad intestina, unde alvi fluxus diuturnus cum colica, ex cujus diuturnitate crebro & forti nisi intestina procidunt. Vellicata intestina, dolorem excitant, quod in colico dolore, Dysenteria, & Tenesmo experimur, propter nervorum in mesenterio & intestinis concursum à sexto pari, plexumque hinc inde per hanc regionem ramos dispergentem, quem nemo accuratius *Willisio* de Nerv. c. 27. descripsit, & nervosam tunicarum substantiam. Expertus id est malo suo Eduardus Secundus Rex Angliæ, quem parricidæ immisso in anum candenti ferro, cumbustisque intestinis interfecerunt. Ipsa alvi salutione, quæ præter rationem accidit, in his diutius perseverante perturbatione pernicies intentatur, *Hipp.* in

Coa-

Coacis. Coli dolores jugulare homines, non paucis exemplis inter nostros didicimus, nec hic repetimus, ne amicorum dolore afficiamur. Accelerat fatum creber dejiciendi conatus, quo tandem laxatis vinculis anima simul cum intestinis ejicitur. Tali catastrophe hæresiarcha Arius vitam hæreticam olim clausit, repetino enim alvi motu coactus crepuit medius visceribus effusis, *Sozomeno* narrante Hist. Eccl. c. 29. 30.

XIII.

Nabucodonosoris Mania, seu Melancholia.

Dan. IV.

DAta per monstrosos ungves occasione de Nabucodonosore nonnulla commentati sumus in *Epistola* 100. *Centuriæ Secundæ*, ad quam Lectorem remittimus. Pauca hic libabimus qui ita exigit instituti ratio. Falli eos credimus qui metempsychosin hic fingunt, somniantque quasi humanum ejus corpus in bestiale fuisset trans-

trans mutatum, quo errore tenentur *Josephus & Bodinus*: Plerique in bovem conversum existimant. In porcum *Constantinus manasses* in Annalibus; *In furorem extremum devolutus est, seipsum insania quadam animi DEVM fecit. Sed horrendum in modum humiliatus est à DEO, de humana forma in porci figuram commutatus, supplicium hoc propter superbiam ferens.* Sed sacer textus *Dan. 4.* affirmat ejectum tantum fuisse ex hominum consortio, sive subditorum rebellione, sive proprio & spontaneo exilio ad solitariam hanc vitam damnatum. Comedisse fœnum, bovis in morem. Bovinos igitur mores induit, & negligentia cultus, in tantam longitudinem pili ungvesque excreverunt, quæ quadam similitudine aves referebant. Quæ propria fuit Nebucadnesaris confessio ad se tandem, elapso septennio, reversi; intellectum nempe sibi rediisse, scilicet morbo laboravit, quem aliqui insaniam vocant & furorem, rectius *Vallesius* de sacr. Philos. c. 80. melancholiam, qua sibi imaginabatur, se in bestiam immutatum, ideoque herbis pascendum, quod insanæ imaginationis genus plurimos afflat, qui succo nigro melancho-

lancholico abundantes fingunt ea quæ nusquam neque picta neque scripta, & timent quæ timere non debent, ideoque se plerunque ab hominum etiam amicissimorum consortio secludunt. An illam insanam melancholiam nativum intemperamentum concitarit, an aliæ externæ causæ à DEO superbiæ vindice illatæ, non æquè liquet. Nimis audacter *Jo. Wierus* l. 1. de præstig. dæm. c. 24. & lib. 4. c. 1. & cum eo alii, maleficio Diaboli inductam Nebucadnezari insaniam asserit, quo nomine rectè vapulat à *Godelmanno* in Lam. *Bodinus*, quod alium sensum *Wiero* affinxerit. Diaboli autem nulla in sacro textu mentio, nec revera eo honore dignus est quem à multis obtinuit, qui plurimorum causas & tormenta illi attribuūt. Veriſſime enim cum *B. Augustino* l. 18. de Civit. DEI c. 18. credimus, Omnipotentem DEVM omnia posse facere, quæ voluerit, sive vindicando, sive præstando, nec dæmones aliquid operari, secundum naturæ suæ potentiam,, nisi quod ille permiserit cujus ludicia occulta sunt multa, injusta nulla. DEO soli hæc de Nebucadnezare vindicta sumta tribuitur *Dan.* 4. v. 28. & 34. qui vel mentem superbi Regis turbavit ipse, vel

causis

causis secundis seu melancholiæ nativæ vim suam reliquit. Et certè sanæ mentis ante non fuit Rex, alioqui tanto supercilio opera sua supra Deum non extulisset. Unde continua rerum maximarum cogitatione accensi humores & adusti, sequvuturæ insanæ melancholiæ occasionem dederunt. Hanc insaniam vocat lupinam aut caninam *Aetius* tetr. 2. serm. 2. c. 11. & melancholiæ speciem esse rectè monet cum *Æginetâ* l. 3. c. 16. ubi & quædam annotarunt, quæ Nebucadnezari conveniunt. Noctu mense Februario exeunt. Quia homines fugiunt. Mense quoque Februario noctes sunt longiores, qvibus in hac solitudine pererrent, quanquam *Arculanus* de veris principio interpretetur, quo humores melancholici moventur. Reliqua signa, pallor in facie, oculi cavi, sicci sine lacrymis, imbecilles, lingua sicca, calidi humoris atrique excessum notant, & vultum deformem. Tibiæ exulceratæ incurabiliter dicuntur propter assiduos, casus & canum morsus, vel potius quia naturæ beneficio atræ bilis succus pravus ad exteriora cutis propellitur, ulceraque maligna & ægerrimè curabilia excitentur. Eodem naturæ auxilio

& instituto, non tantum pilos in Nebucadnezare prolixos enatos legimus, sed & ungves avium instar excretos. Qua critica quasi expulsione corpus paulatim à succis pravis liberatum fuit, donec critico anno septimo prorsus sanitati, Dei beneficio Rex P. restitueretur. Irrigationes denique capitis uterque ante laudatus autor, in hoc casu laudat, quas opportunè Nebucadnezar excepit à rore cœlesti. Ungves certè in melancholicis excrescere solent & cornua. Utrumque videmus. Cornua passim descripsimus l. *de Unicornu* & in *Historiis Anatomicis*. In vicino pago rusticus adhuc super est cui cornua crescunt. Ungulas prolixas crassasq; in sene depinximus *Cent. 2. Epist. ult.* quas dono *D. Paulli* possidemus, similesque nuper in puero observavimus, qui ostiatim exinde eleemosinam colligit. Tales in leprosis describit *Constantinus* Monachus & *Isaaci* plagiarus in tr. de genere leprarum. Nebucadnezaris igitur ungves avibus similantur, dubio procul quod vel negligentia hominis insani resecti non fuerint, vel copia succi atri crassique continuum incrementum sumserint, adeoque & in immensam longitudinem & figuram incurvam

vam excreverint. Iucurvantur quoque in pulmonum ulcere, more ferarum, unde tale ulcus θηρίωμα appellat *Galenus* in 6.Epid.com. T.24.

XIV.

De piſce, in quo ſepultus Jonas.

PIſcis delineatur in *Boſii* Roma ſubterranea l.2. c.8.p.93.103.edit Rom.maj. Plerique de balena explicant, quia piſcem magnum *Jonæ* textus vocat. Cete autem vulgati nominis non fuit, quia nec in mari Mediterraneo nec Perſico balenæ reperiuntur,& omnes balenæ quæ in Grōlandia noſtra & Islandia capiuntur, cujuscunque generis, etiam inuſitata corporis mole, vaſtoque capite, ex cujus lingua ſola XVIII. Tonnæ adipis exprimuntur, tam anguſtas tamen fauces habent, quæ vix brachium hominis capiant. Vero fit ſimilius canem Carcariam, ſeu Lamiam fuiſſe, quæ magnitudine cum minoribus balenis certat, vidique exuvias XX.

pedes excedentes. In Musæo servô junioris cutem asperam, X. ferè pedes longam. Et, quod notandum, rictum habet Lamia ampliſſimum faucesque patentes & œsophagum viro deglutiendo capacem. In curia Bremenſi depictam vidi Lamiam, quæ Jonam ceperat. In mari Rubro prædæ hominum assvevit canis Carcarias. Ita *Plinius* l.13.c.25. *caniculus referta* (sc. maria, supplente *Pintiano*,) *ut vix prospicere è navi tutum sit, remos plerumq; ipsos accedentibus.* Ante Plinium *Theophraſtus* l.4.Hiſt.Plant. c.8. *Mare hoc belluis refertum, plurimasq; Καρχαρίας seu caniculas habet, in tantum ut mare tutum non sit.* Ex utroque *Wottonius* l.8. de diff. animal. c.164. ſimilia tradit. Ninus seu Ninive, Assyriæ Metropolis, impoſita erat Tigri, teſte *Plinio* l.6. c.13. quæ se exonerat variis flexibus & nominum mutationibus in ſinum Perſicum, quo vero fit ſimile Jonam confugiſſe, ut se ſubduceret. Mare enim ingrediebatur. Hic autem citius invenias canem Carcariam, quam balenas. *Joſephus* l.IX. Ant. Jud. c.11. Jonam à Cete devoratum, poſt triduum in Euxinum Pontum revomitũ ex aliorum narratione narrat. Fateor quintuplicem ordinem, den-

dentium, quo Maxilla canis armatur, lædere Jonam potuisse; sed dicendum, Dei manum ingressum ejus & egressum custodivisse.

XV.

Tobiæ cœcitas curata.

PErpauca supersunt quæ de Tobiæ morbo & curatione scribantur, quia omnia fere absolvit *Hieronymus Bardus* in Med. Cathol. c. 4. §. 1. & 2. & ante illum *Valleſius* de sacr. Philos. c. 42. De felle piscis unum verbum addam. *Bardo* vutilus marinus placet, qui ad fluminum oras sæpe sæpius commoratur, & torva facie, & oculis irretortis terrorem incutit, & voraciſſimus est. Experimento in felle conjecturam fulcit. Hujus quippe fellis in oculis à sordibus & maculis repurgandis maximã virtutem expertus eſt, si præsertim chymicè præparetur, & jecur ejus & cor super prunas reposita acutissimum suffitum olere, ex quo Dæmones forsan propulsi sunt. Lamia, quam in Jonæ historia elegi, huc etiam quadrat. Illa quippe

amplo rictu majorem terrorem juveni Tobiæ incutere potuit. Dicitur enim immanis piscis in *Versione vulgatâ* & in *Deodati* editione Italica, *un grand pisce*, quanquã LXX. absolutè ἰχθὺν vocent. Præterea in india observavit *Jacobus Bontius* de Med. Ind. c. 16. in cœcitate specificum ac crebro usu comprobatum medicamentum esse, jecur Lamiæ piscis, crudum cum sale comestum quin & oleositatem ex eo in sole inde destillantem ac oculis inunctã pro ptæsentaneo esse remedio idq; proprietate quadam substantiæ. Fel autem & hujus & aliorum animalium ad suffusionis commendatur. Hyænæ laudat *Galenus* Introduct. c. 14. fel, lac, albumen ovi & urinam l. de *Ocul.* c. 4. sed clarius l. 10. de simpl. Med. Facult. ubi oculis temperatorem bilem accommodans, addit: *Animalium quorundam singulariter bilis à Medicis extollitur, tanquam aciem exauciat oculorum, & suffusionum initia digerat, verum tiscis quem vocant callyonymon, hyænæ, & scorpii marini.* Callyonymi igitur, seu Uranoscopi, si lamia non arridet, fel advocetur, quo Tobiæ oculi fuerunt curati, Ejus enim fel cicatrites sanat, teste *Plinio* l. 32.

l. 32. c. 7. & carnes oculorum supervacuas consumit. Nulli hoc piscium copiosius, ut existimat Menander quoque in Comœdiis. Cujus, ut & Anaxippi versus ab *Æliano* citantur l. 13. Hist. Animal. c. 4. Reliqua facilè huic pisci accommodaveris, quæ in cœcitate Tobiæ annotantur. Ejus descriptionem habet ex *Rondeletio* & *Bellonio*, propriaque observatione *Gesnerus* l Aquatil.

XVI.

De puerperio B. Mariæ.

Matth. 1.

VIrgo uterum gestavit. Quod verò clausis virginitatis claustris primagenitum suum in lucem ediderit capere non possunt, qui nihil nisi ordinarium in Servatoris Nativitate, per rationem, concedunt. Aperuit quidem matricem Christus, quia vocatur primogenitus, sc. quia primus aperuit vulvam seu matricem Exod. 34. 19. Num. 3. 12. sed modo planè divino & singulari. Omnia hic naturæ consvetum cursum superant, conceptio

sine

sine viro, nativitatis illæsa virginitate. Rectè enim *Montacutius* Apparat. IX. ad orig. Eccles. §. 59. neque novum illud in terris adeò novum fuisse, si non per omnes nativitatis & conceptionis partes illa Nativitas descendisset. *Suidas* certè refert membranam in B. Virgine ab obstetricibus inventam fuisse, cum de ejus virginitate dubitaretur. Ut scrupulos amoveat *Jo. Bapt. Mantuanus* Tr. de loc. Concept. Christi, fingit aliunde prodiisse ex virgine Christum quam naturali & communi via, sed falsum illum esse, viamque naturalem servandam probavimus libro *de insolitis Partus viis cap. 7.* Vulva enim aperta dicitur *Luc. 2.* & more aliarum puerperarum purga a est B. Virgo.

XVII.

Sangvinis profluvio laborans fœmina in Evangelio.

PEr duodecim annos mulier αἱμορῤῥοοῦσα à Christo sanatur. Flux ex utro continuo sangvis manavit, & temporis diuturnitate assveta illac ferri natura, fractisq; indi-

indies viribus, incurabile malum fecit. Non verò ex uteri venis, seb iis quæ in collo uteri & cervicis aperiuntur, quas hæmorrhoides vocant, sicut illas inano, profluxit. Hac quippe via naturalis mensium fluxus procedit. Unde in gravidis, clauso utero, nonnunquam menses statis vicibus, nonnunquam continuo, quarum exempla memini, procedunt. Causam habet vel sanguinis seorsi tenuitatem, vel viarum laxitatem cujus prognosticum est, vel curationem nullam vel difficilem admittere. Franciæ Martellæ apud *Poterium* Cent. 3. Obs. & Cur. cap. 49. continua hæmorrhagia ex utero supra duos annos patienti successit leucophlegmatia cum febre lenta, siti inexplebili & mira inappetentia. Quid de obstirmato anuorum duodecim malo dicemus? Ad rem Doctissimus *Mercurialis* l. 4. de Morb. Mul. c. 2. differit; ægritudines omnes quæ curatæ sunt à Christo salvatore nostro, incurabiles fuisse; hocque dixit, quia fluxus ille mulieris omninò erat incurabilis, ut timere debeamus ubi fluxus prorogantur, malum evadere incurabile, adhæc ubi fluxus immodici diutius durant, timendum ne mulier fiat hydropica, cachetica

tica aut alia propria mala incurrat. Mirari neceſſe eſt, quod tot annorum inducias mulieri ad vitam conceſſerit pertinax & periculoſus fluxus. Sed reſervata fuit ut Chriſti miraculo ſanaretur. Quomodo à profluvio ſanguinis liberata ſit Sybilla quædam, non Cumana, ſed Lauſanenſis *B. Hildegardus* l. 3. vitæ ſuæ his verbis deſcribit: Matronam Sybillam de civitate Lauſanenſi trans Alpes, quæ ejus adjutorium per nuncium expoſtulavit, miſſis ei literis, profluvio diuturno ſanguinis liberavit: Hæc verba interdectus & umbilicum pones, in nomine ejus qui omnia recte diſponit. In ſanguine Adæ orta eſt mors: In eodem ſanguine Chriſti extincta eſt mors. In eodem ſangvine Chriſti, imperio Tibi, ô Sanguis, ut fluxum tuum contineas. Et matrona his ſcriptis verbis eſt ſanata. Refert hæc ex Hildegardi *Helmotius* pag. 672. quem credere quæ velit non inhibeo, modo mihi libertatem concedat credendi quæ debeam.

XIIX.

Epilepticus in Evangelio.

IN hiſtoria Evangelica fit mentio cujusdam

dam σεληνιαζομένε. Σεληνιαζομένες h. e. lunaticos, Paraphraſtes *Syrus* transtulit רבר אנרא *Tremellio* ad Verbum ſonat, *filium agrorum* i.e. hominem agreſtem, & qui â reliquorum conſvetudine abhorreat. Sed *Fullerus*, Vir Doctisſimus l. 2. Miſcell.ſacr.c.17. ita reddendum cenſet: *Qui extra tecta* degunt. Græcè ἀγρεῖς appelles. Qua voce LXX. utuntur, ad eos deſignandos, qvi vitam miſerrimam trahunt in ſylvis, ſolitudinibus. &c. Vide plura apud laudatum *Fullerum*. Epilepticum rectè cenſet *Unzerus* l.1. de Epil. c. 1. Dicitur enim hic morbus Lunaticus, vel quia ſecundum varios Lunæ motus & aſpectus, nonnullos invadit, vel quia inrerlunio concepti atque nati, huic morbo obnoxii exiſtimantur. Luna quippe humoribus præeſt, quam vitare eum vult *Celſus* l. 2.c.4. cui caput infirmum eſt, maximeque ante ipſum lunæ ſolisque concurſum. *Aretæo* annotante l. 1. De cauſ. & Not.Chrou. aff c. 4. nonnulli flagitioſis hominibus â Luna immitti exiſtimant. Hinc credo in curando hoc affectu, ne Luna creatutam ſuam foveret, Lunæ ortum vitaſſe Medicos, Ita *Nicolaus Myrepſus* ſect. I. de Antid. c.198. de Antidoto

Cyphi

Cyphi: Lunaticos restituit, data cum spuma tauri fabæ magnitudine, ab ortu Solis ad ortum Lunæ diebus triginta. Adjungit sacer Scriptor huic Lunatico Dæmonium, quod vel induxit morbum, vel auxit. *Serapio* à Dæmonibus immediate affectum producit. Divinationem potiùs alii fingunt, quia ea correpti nonnunquam vaticinari futura videntur, sive ea vera sint sive falsa. Quod *Antonius Guajnerius* tr. 17. Prax. c 3. fusius explicat. Nam cum in Epilepsia sit fortis quædam oppillatio, qua omnes sensus exteriores ita ligantur, ut ab omnibus eorum operationibus cessent ac ferientur, & cum anima rationalis aliunde non sit impedita, sed maneat quasi in simplici esse, fit ut Epilepticis quandoque in paroxismis futurorum mago quædam obversetur, quibus postmodum cessantibus, sæpe plurima futura prædicant. Negari non potest liberius animam agere corpore pene oppresso, quod in moribundis non rarò videmus, at nec anima nec Dæmon futura sciunt; ut verò dixerit *Guarnerius* imaginem esse futurorum, non veram prædictionem. Adsociat se malus Dæmon huic aliisque morbis, ut ægrius faciat. Hinc

sacer

sacer morbus quoque vocabatur, quod divinitus putetur immissus, *Cælio Aureliano* l. 1. Chron. c. 4. aut quoniam Dæmonæ correptus esse homo videatur, ut censet *Aretæus* l. 1. de Caus. Chron. 4. Hinc, quia frequens is apud Judæos, impræcationum formulis lenitur, teste *Buxtorfio* Patre c. 33. Synag. Judaic.

XIX.

Dæmonio obsessi in Evangelio & per annulos curandi ratio.

DIsputat de eo *Jo. Langius* l. 2. Epist. 34. an Dæmones humana corpora morbis affligant, exorcismo obtemperent, qua denique methodo tales morbo curentur? Laus *DEO*, quod insolita sit nostro tempore ista infelicitas, cum vix singulis seculis, unus alterve à Dæmone obsesso affligatur. Me puero, Coagii celebri Selandiæ nostræ urbe, quidam miros Satanæ experiebatur insultus, ut etiam per erem subinde raperetur, quem invisere ex sacerdotibus nemo audebat, nisi integram

vitam

vitam traduxerat, exprobrabat enim obsessus quicquid conscientia occultavit. Inter Judæos numerus Dæmoniacorum insolutus fuit, & sæpe in sacro Evangelio occurrit, sive quod præter modum artibus magicis dediti Dæmonem advocaverint, sive quod summæ impietatis hanc pœnam meruerint à vindice Jehova. *Josephus* narrat, quo modo obsessi à Dæmone curarentur à Judæis. Vidit namque Eleazarum Judæum in exercitu Vespasiani, curantem Dæmoniacos hac methodo: Ingerebat naribus obsessi annulum sub cujus symbolo radix à Salomone indicata continebatur, quo de naribus educto simul Dæmonim obsessi emunxit, ac æger langvore in terram concidit: & Eleazar carminibus Salomonis Dæmonem adjuravit, illique per sacra edixit, ac vetuit, ne in pristinum suum ergastulum rediret. Ac ut obsessum spiritu maligno liberatum testaretur, ponebat coram obsessis calicem aut pelvim aqua refertam, quam ut egressus ab homine subverteret, Dæmoni jam exauctorato imperebat. Hodie nonnunquam obsessi à Dæmone creduntur, qui vel Epilepsia correpti vel melancholico succo abundantes, ludos varios Satanæ men-

mentiuntur. In Epilepsia similia Dæmoniacorum visuntur symptomata, variis motionibus miri spectaculi speciem præbentia. Et quod in Evangelio legimus, in flumina vel mare cadentes, ex altis locis Præcipites dantur, sicut prodidit *Celius Aurelianus* l. 1. Chron c. 4. Vidimus Patavii eos qui tanqvam obsessi flagellabantur, curatos à *Jo. Dom. Sala* Medico Magno, pro Epilepticis vel melancholicis. Expurgandus enim in his ater humor, qui cerebri ideas turbat, & vellicantes cerebrum acres liquores educendi. Quanquam nec flagella damnentur, quæ calorem excitare valent, & mentem à deviis revocare, de quibus nos post *Meibomium* plura diximus Epist. *de Flagrorum usu in Medicina.* De annulo naribus obsessi indito, quæ Eleazar apud *Josephum* exhibuit præstigiæ meræ sunt. Annulus quidem S. Eduardi Regis Angliæ comitiali morbo laborantibus salutaris fuit, de quo videndus *Kirchmannus* de Annul. c. 21. sed suspicio esse potest, ex ungula alcis confectū vel aliis quæ singulari virtute Elpiepsiam curant. Annulos alias naribus appendebant Judæi ornamenti causa vel memoriæ. quod in Schedio nostro de *Armillis*

expo-

exposuimus. De hoc argumento consultus *J. Buxtorfius* Junior, Basileæ olim amicus noster, Cl. *Rhodii* in gratiam, cum de sibula commentaretur, prolixum responsum dedit, quod meretur publice hic legi:

De Annulis Narium.

Et primo quidem Nomen Hebraicum, quo *Annuli Narium* designantur, de quibus quæris, vocatur illud נֶזֶם *Nesem*, in plurali נְזָמִים *Nesamim*, &, נִזְמֵי *Nismei*. Etymologia hujus nominis incerta: quia, cum communiter Nomina apud Hebræos à Radicibus certis seu verbis descendere soleant, nullum autem verbum apud Hebræos sit in usu, unde hoc nomen derivari, & ratio significationis ejus cognosci possit. Analogiæ ratione primitivum ejus deberet esse נָזַם *Nasam*: sed nullibi extat. Sunt, qui per Methatesin literarum referant ad זָנַח *Sanah*, quod *scortari* significat: quasi sit Monile, quod palam in fronte, naribus vel auribus prostat ad emerendum gratiam. Sed coacta est hæc etymologia. Et cum sanctissimas etiam fœminas legamus hoc ornamenti genere usas, absit, ut ab impudico illud verbo deducamus. Si conjecturis indulgere vellemus

lemus, commodius multo deduci posset à verbo affini סם *Sam*, vel סמם *Samam*, quod *Capistrare*, *Frænare*, *Refrænare* significat: unde סמם *Semam est Capistrum*, *Frænum*. An ergo forte נזם *Nesem*, ornamenti illud genus sic dictum, quod cum סמם *Semem vel Semam* Fræno vel capistro Equorum & jumentorum aliquam similitudinem haberet. Sanè interpres Latinus Paraphraseos Chaldaicæ Cantic. 1. v. 10. ubi legitur, *Verba legis esse Israëlitis sicut* סממי Semamim (fræna) *in maxillis eorum, ut non recedant à via recta*; ille, inquam, Interpres vocem סממי Semamim (fræna) reddidit; *Sicut in aures*; affinitatem originationis inter has duas voces agnoscens.

Secundò, utile est & è re omnia Scripturæ loca inspicere & considerare, in quibus vox hæc occurrit. Sunt autem seqq.

I. Genes. 24. 22. dicitur de servo Abrahæ: *Protulit Vir* Nesem auream, semissis pondus ejus: & v. 30. *Cum vidisset* Nesem *Laban*. Et v. 47. dicit servus ille in eadem Historia: *Et posui* Nesem *super nares ejus, & armillas super manus ejus* (sc. Rebeccæ.)

II. Genes. 35. 4. dicitur de familia Jacobi: *Dederunt itaque ipsi* (*Jacob*) *omnes Deos ali-*

os alienos, qui erant in manu sua, & Nesamim, quæ erant in auribus ipsorum.

III. Exod. 32. v. 2. 3. de Aharone vitulo conflaturo: Et dixit illis (Israelitis) Aharon: *Separate* Nisme *aureas, quæ sunt in auribus uxorum vestrarum, filiorum vestrorũ, & filiarum vestrarum, atq; afferte ad me. Seperaverunt igitur omnis populus* נזמי Nisme *aureas quæ erant in auribus eorum, & attulerunt ad Aharon.*

IV. Exod. 35. v. 22. de populo Israelitico spontaneas oblationes ad opus tabernaculi offerente: *Venerunt viri cum mulieribus, omnis spontaneus corde, & attulerunt fibulas, &* Nesamim *& annulos, & dextralia, &c.*

V. Judic. 8. 24. 25. 26. Dixit præterea ad eos Gideon: *Postulabo à vobis postulationem, ut detis mihi quisque* nesem *spoliorum suorum; Nam* nisme *auri vel aureæ erant eis: quia Ismaelitæ erant,* (spoliati sc. vel capti ab Israelitis) Et dixerunt, dando dabimus. Et expandentes vestimentum, projecerunt illuc quisque nesem spoliorum suorum. *Fuit autem pondus* nisme *auri vel aurearum* mille & septingentorum aureorum &c.

VI. Jobi 42. 11. *Dederunt quoque* (amici Jobi)

Jobi) *ei* (Jobi) *quisque agnum suum* (vel, nummun agni imagine signatum) *& quisq.* nesem *auream unam.*

VII. Proverb. 11.22. *Sicut* nesem *auri in naribus porci: ita est mulier pulchra, & defficiens consilio.*

II. Proverb. 25.12. *Ut* nesem *auri, & ornamentum obryzi est, qui arguit sapientem, cui est auris obtemperans.*

IX. Jesa. 2. 21. Inter ornamenta filiarum Hierosolymitanarum recensentur *Nisme* narium.

X. Ezech. 16. v. 12. *Dedi* nesem super nares tuas, & inaures in auribus tuis, & coronam gloriæ in capite tuo.

XI. Hoseæ 2. 15. *Et visitabo super eam* (Ecclesiam Israeliticam apostaticam) *dies Baalim, quibus adolebat thus & ornabat se* nisma *suâ.*

Ex consideratione & collatione horum locorum Scripturæ sequentia videntur colligi:

Primò Nesem ornamenti genus fuisse, primariò quidem & propriè fœminarum, secundario autem & quandoque etiam virorum, argumento locorum Exod. 32. Judic. 8. Jobi 42. 11.

Secundò, materiam fuisse *Aurum.*

Tertiò, Adhibitum vel applicatum fuisse, *Naribus*, Genes. 24.47. Proverb.11.22. Jesa. 3.21. Ezeh. 16.12. & *Auribus* Genes. 35.4. Exod. 32.2.3.

Quartò, Israelitis seu Arabibus in frequenti usu fuisse, Judic.8.24. unde Vulgatus Latinus Interpres illic reddidit: Inaures enim aureas Ismaelitæ habere consveverant.

Sed & *Versiones* & Expositiones Veterum præsertim Interpretum sunt considerandæ & videndæ:

LXX. Græci in omnibus adductis locis transtulerunt Ἐνώτιον *Inaurem*: præterquam Jobi 42.11. ubi verterunt, Καὶ τετράδραχμον χρυσοῦν ἄσιμον ἕν. Symmachus interpres Græcus reddidit ἐπίῤῥνον, & ἐπιῤῥίνιον ornamentum nasi.

Vulgatus: *Inauris*. Sed Proverb. 11. 12. *Circulus Aureus* & Esa 3. *Gemmas in fronte pendentes*. Ezech.16.12. *Et dedi inaurem super os tuum*, Genes.24.47. *Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus*.

In his versionibus observandum, absurdum videri, quod Græci & Latinus *Inaurem*, h.e. ornamentum aurium, tribuant vel naso, vel fronti vel ori. Factum est id ab eis non propirè sumtà voce, sed κα-

ταχρη-

καχεκτικῶς, cum propria vox non esset in promptu ornamento isti exprimendo. Hinc & recentiores per vocabulum generalius, *Monile* sunt interpretati. Hinc est, quod *D. Hieronymus* scribit Ezech. 16. *Verbum Hebraicum* Nesem, *excepto Symmacho, qui interpretatus est* Περίνιον *omnes* Inaurem *transtulerunt, non quod* Inaures *ponantur naribus, quæ ex eo, quod de Auribus pendeant,* Inaures *vocantur: sed quod circulus in similitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur. Et usque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Itaque Ἐνώπιον, & *Inauris* non propriè vim & significationem vocis Hebraicæ exhibent: sed partim propter defectum vocis commodioris: partim propter similitudinem cum Annulis aurium.

Lutherus Germanicè reddidit, Spangen: Ohren-Spangen: Stirnband (Judic. 8. Prov. 25.) gülden Haarband / Prov. 11. Jesa. 3. Stirnspang.

Ubi existimo illum non benè reddidisse Stirnband / Haarbaand: non enim fuerunt ipsæ *vitæ*, vel Stirnband/aut Haarband / sed circuli vel Annuli ex illis

dependentes, ut videtur: nisi forte ipsæ vittæ vel fasciæ una cum annulis fuerint.

Judæi in Versionibus suis Germanis reddunt, Naßband.

Chaldæi interpretes קְדַשְׁיָא *Kodaschâja*, q. d. Monilia sponsalitia, qualia Sponsus Sponsæ dare solet. In Talmud Hierosolymitano Tractatu de Sabbatho cap. 6. fol. 8. col. 2 explicatur *Nesem* ex loco Jesa. c. 3. per דבר שהוא נתין אלגב חוטם *Aliquid quod ponitur supra nasum.*

Rabbi Abraham Aben Ezra Hispanus ad Geneseos XXIV, v. 22. scribit: באזן שנזם אחוא באף גם *Est* Nesem, *quod applicatur naribus, & quod applicatur auribus.*

Author libri qvi vocatur *Chaskûni* ad eundem locum scribit: נים שייך לאף ולאזן h. e. *Nesem* convenit naribus & auribus.

Itaque ex his omnibus liquet vocem *Nesem*, quæ adhibetur etiam, ut visum in loc Exod. 35. denotare tam *Ornamentum Narium*, quam *Aurium*; quamvis existimem propriè significare ornamentum narium; ratio, quia alibi ornamenta aurium in eodem loco ab illis distinguuntur, ubi utrumque fit mentio.

Qualia autem illa ornamenta fuerint, quæ-

quæritur ? D. Hieronymus in loco supra allegato dicit esse *ornamenta mulierum*, & *quidem circulos*, (h.e. annulos) *in os ex fronte pendentes*, & *naribus imminentes*. Non est autem ejus authoritas contemnenda, ut qui in illis regionibus vixerit, & praxin earum viderit, uti ait: *Et usq́ hodie*. Sic testatur Augustinus Quæstionibus in Genesin: *Mos*, inquit, *Maurorũ est, ut inaures etiam in naribus habeant fœminæ*. Sic Vulgatus Interpres Prov. 11. dicit, *Circulus aureus*. Esa. 3. *Gemmas in fronte pendentes*, (auro sc. inclusas & impactas.) Gen. 24. servire *ad ornandam faciem*.

Aben Ezra Hispanus loco modo citato ait: מֵעַם פִּהּוּל קָשׁוּר בְּמֵצַח שֶׁעַל הָאַף יִלֵּךְ Nesem *narium dependet à filo vel funiculo fronti alligato*.

Don Isaac Abarbenoi, itidem Hispanus, scribit ad locum Jesa 3. 3. *Lechaschim* sunt monilia aurium *Tabbaoth* sunt ornamenta digitorum manuum; *Nisme* (quæ nostra est vox) sunt monilia sive ornamenta, quæ applicabant naribus suis, aut pendebant in tiaris capitis à funiculo, & inde usque ad nares descendebant, vel dependebant. Hæc ille.

NB. Quod ergo Vulgatus Interpres reddidit, modò *circulum aureum in naribus*: modò *Gemmas in fronte pendentes*: modò *Inaurem super os*: modò *ad ornandam faciem*: hinc potest conciliari: *Gemmæ sunt in fronte pendentes*: nempe in vitta frontem circumdante, & ab ea dependentes: *super os*: quia ad os usque pendebant: *in naribus*, quia naribus imminebant: *Ad ornandam faciem*, quia hic generalis erat finis. Sed & ab ambiguitate vocis Hebraicæ אף *Af*, vel *Aph* vel arietas ista proficisci potuit: quæ *Faciem*, *Vultum* in genere, & Synechdochicè *Nasum* significat.

XX.

Cœcus luto curatus.

Joh. IX.

CUr Christus in sanando cœco linimento & pulvere sputo consperso usus sit, quærit *Jo. Reverovicius* Epist. Quæst. 3. respondetque Nobilis Virgo *Schurmanna*. De pulvere verò quem κενεῶνα χθόνιον vocat *Noanus* Paraphr. in Johannem eruditè disserit *Dan. Heinsius* Exercit. Sacr. c. 8. Idem

cœcus

cæcus ἀχάραξ dicitur *Nonno*. Nam verum non pauci oculos illius à Christo tum creatos tradiderunt, inter quos *Cypriano*, *Chrysostomus*, *Theophilactus*, *Augustinus*, quorum verba afferre non vacat. Hos tamen à vero aberrare textus indicat. Nam vers. 10. aperti dicuntur, non creati oculi. Et commate sequenti fatetur cæcus oculos suos fecisse luto inunctos, quanquam tam facilè fuerit Christo creare, quam aperire oculos. De hujus cæci curatione ita l. 7. Carm. 42. lusimus:

Prima luto debent nostræ primordia vitæ,
Exque luto reficit languida membra
DEVS
Viderat hoc cæcus, cujus referantur ocelli,
Ut quoq; discamus nos meminisse luti.

Fingebant & similia miracula Pagani, sed astantibus fucum fecerunt. Quæ enim de Vespasiano Imperatore, cæcum curante narrat *Tacitus* l. 4. Hist. & *Svetonius* c. 7. adulationem sapiunt, ut hoc, quasi DEUS, signo æstimaertur. Revera lusus erat, non miraculum quod Cyrolæ Arianorum Antistitum Principis exemplo edocemur. Is quippe cujusdam hominis Ariani supposititii, qui se cæcum pretio accepto

accepto fingebat, aperire oculos volens, eundem antea quidem optime videntem, simul ac oculos tetigit, re vera cœcum reddidit, cui postea, fraudem coram universis detegenti, Eugenius orthodoxus visum confestim signo crucis reddidit, quam historiam ex *G. Turonensi* l. 2. hist. c. 3. *Baronius* recenset.

XXI.

Lazari morbus, *Joh. XI.*

Ἀσθένεια. vocatur v. 4. communi nomenclatura. *Suidæ* ἀσθένεια, παλαιπωρία; νόσος ἀδυναμία. A *Nonno* in Paraphrasi πῦρ dicitur, ut febris indicari videatur. Nam Medicis Græcis, inprimis *Hippocrati* πῦρ de febri dicitur, à colore præternaturali, quo corpus velut igne oritur. A Syris & Chaldæis ortum putat Incomparabilis Heinsius Aristarch. Sacr. c. 24. quibus אשתא, id est πῦρ, febris dicitur. Credo febrem ardentem significari malignam, quæ citius ad mortem deproperabat, quã advenire posset Servator. Tertio enim die videtur jugulasse Lazarum. Primo enim

nim die decubitus nunciatur Christi morbus. Biduo exacto discipulis suis absens dicit, mortuum esse Lazarum, pluribus deinde consumtis in itinere diebus adveniens Salvator sepultum invenit. Malignam verò febrem ostendit fœtor & putredo quarti diei v. 39. & metus Thomæ ne una infectus occumberet v. 16. sudore diffluens ante mortem reviviscens calidum sudorem habuit, *Nonno* interprete, quod capere non potest Magnus *Heinsius* Aristarch. sacr. c. 24. Non quidem mortui sudant, sed sudorem sudario velant, quem in agone expressit succumbentis naturæ conatus. Is igitur sudor in cadavere Lazari frigidus, incaluit sub sudario, cum vitam redderet corpori & calorem Jesus. Hinc quoque malignæ febris capimus signum, monitu *Hippocratis* in Coacis: οἱ ἐφιδρῶντες ἐν πυρετῷ, κακοήθεες.

XXII.

De Hypochondriaci Judæi proditoris morbo.

JVdæ proditoris nefarii morbum mortemque paucis expendimus in Concilio de Co-

de Cometa pag. 110. seqq. Pergo Commenterium hunc iisdem illustrare, quæ tum in mentem calamumque venerant. Sunt inter eruditos qui suspicantur, hydrope ventris & cerebri ita intumuisse, ut caput ejus instar dolii esset, hoc quo morbo periisse. Simile quid apud *Theophilactum* legerunt, sed non satis attente. Ille enim in Scholio ad *Matth.* c. 27. præmissis aliorum de Judæ supplicio pinionibus, suam tandem sententiam deprompturus, asserit, quod posuerit collum in laqueum, seque ab arbore suspenderit, arbore autem ad terram inclinata supervixerit, Deo volente ipsum vel in pœnitentiam conservare vel in confusionem: alios autem dicere, quod hydropico morbo correptus per meatum transire non posset, per quem poterat plaustrum transire, deinde ceciderit pronus, & medium crepuerit. Papiæ, apud *Oecumenium* id fuit commentum, quod rejicit *Casaubonus*. Laqueovitam finivisse plerique asserunt, *Vulgata versio* & *B. Augustinus* l. 1. de Civ. Dei c. 17. ne plures advocem: At postea supervixisse arbore inclinata, quam ficum esse à Christo antea condemnatam, nonnulli fingunt, à *Montacutio* explosi, nullius

idonei

idonei testimonio evincitur. Fuisse strangulatum credimus *Matth.* c.27. sed à quo, non æque liquet. Ἀπάγξας enim passionem notat, voxque Medica est *Hippocrati* usitata, cui 2. Aph. 43. ἀπαγχόμενος est qui strangulatur. Versio *Æthiopica* presse *Matthæum* leqvuta, strangulatum ait & obiisse. Sive igitur ab interno animi mœrore, & auguſtia cordis interceptus illi sit spiritus, quod hypochondriaci & hysterici non raro patiuntur, de quibus multa ex Magistris erudita congessit *Heinsius* Exercit. N. T. sive ipse melancholicus rebus suis desperans, Satanæ auxilio fauces sibi præcluserit, penes menon dijudicabitur. Si illi alii apud Theophylactum, aqua intercutem laborasse probaverint facile concipiemus, quod alibi *actor.* 1. 18. legimus, eum medium crepuisse, idque cum sonitu, quod verbum λῆξαι sonat, quemadmodum ferè distentus in hydrope venter vel membrana vesica inflata disrumpi potest. Quomodo autem pronus factus? Certè difficillimè spiritum trahunt melancholici & hydropici suffocato corde copia aquarum, vel ab inferioribus presso, & nimius animi mœror facillimè hydropem advocat. Tali autem habitu

habitu prono in terram vultu, melancholicorum in morem fuisse Judam, suspicari possem ex *Actor.* 1. quod πρηνὴς fuerit, quod *Æthiops* vertit, projectus fuit in terram, super faciem suam, *Syrus*, cecidit in faciem suam, *Arabs*, prostratus in faciem cadens. Si igitur ab interno principio animæ commeatus Judæ melancholico obstructus fuit, præceps in solum lapidosum factus, tumidum aqua & atra bile ventrem disrumpere potuit, ut viscera interna effunderentur. Ita narrat *Mich. Jo. Paschalius* l. 2. Meth. Cur. Morb. 44. De muliere Ascitica, quæ ex casu in lapidem vulnerata, per vulnus ventris subito omnem aquam evacuarit, & in animi delinquium inciderit, quod mirum non fuit ex Aph. 27. Sect. 6. Viscera autem omnia exinde expulsa, iræ Divinæ adscribendum, sicut de Arrio hæretico ferunt ad sedem se contulisse atque extemplo pronum cecidisse ac medium crepuisse, effusis visceribus. Nulla tamen causa est, cur de mitiori supplicio cogitemus, quod maximũ esse debuit, quo sceleratæ illius traditionis commissum augeretur potius qvã expiaretur. Et quanquam nos his fatigemus, hydrocephali tamen in *Theophylacto* nullum

lum indicium reperimus. Νόσῳ enim ὑδερικῇ correptus dicitur, nulla parte determinata.

XXIII.

Herodes verminosus.

Act. XII, 23.

PErcussus ab Angelo Tyrannus Herodes justas pœnas dedit. Nam σκωληκόβρωτος à vermibus erosus obiit, idque maximis obortis torminibus, *Josepho* annotante. Alii phthiriasin hic inferunt, verminationem alii. Posterioribus calculum addimus. Nam σκώληξ vermem notat, non pediculum. Pedicularis morbi exempla passim extant. Non pauciora verminantis. Vermes quippe à putredine omnes corporis partes infestant, internas pariter & externas, ut observationum Libri testantur. In ipso sanguine putridarum febrium vermes observavit *Kircherus* de Peste, in venæ sectione quoque *Petr. Borellus* c. 3. Obs. 4. nosque Hafniæ similia vidimus. Hinc corrupto sanguine & verminoso non mirum si totum corpus

corpus verminosum fiat. Verminosorũ exempla recitat *Macellus Donatus* de Med. Hist. Mirab. c.5.l.1. Herodi à vermibus eroso, quia inveniunt, cum delectu pauca ex illis ad usum nostrum seligemus: Illustrissimus quidam, cujus nomen consulto reticere lubet, ita obœso corporis habitu præditus fuit, ut in ingentem molem excrescente pingvedine carnis, pingvedidinisque plexuræ circa collum & in abdomine quam maximæ conspicerentur, in quorum medio cum æstatis tempore dolere cœpisset, convocatis ministris, quidnam mali subtus latitaret, aspicerent mandavit, quo facto primum exesam cutim invenere, postmodum procedente tempore erumpentes vermiculos conspiciunt persimiles illis, quos in antiquiori corrupto caseo occultari aliquando videmus, quod malum cum nullis præsidiis profligari potuisset, tandem strenuum Heroem neci tradidit. Sic & Galerium Maximilianum, seu Maximium Imperatorem vermibus ab inguinibus erumpentibus obiisse tradit *Pomponius lætus* in Comp. Rom. Hist. Scribit in Melpomene *Herodotus* Pheretinam Barcæorum Reginam immani crudelitate fœminam Deorũ

ultione

ultione totam vermibus putruisse, eoque morbo miseram evomuisse animam. Herodem hujus avum, alii vermibus e inguine prorumpentibus, alii pediculari morbo excessisse ferunt. *Josephus* l. 1. de Bell. Jud c. 21. de Herode, Patre Archelai, testatur, putredine virilis membri vermiculos generante interiisse. σκώληκα vocat, vermiculos nempe, non pediculos. Ex habitu corporis vermes, putrida carne, musculosa & sangvine corrupto, magno dolore prodeunt. Ex intestinis quoque à lumbricis erosis mors in propinquo est, quod exemplis infinitis docent ægri. Hinc torminum Herodis causam repetit *Jo. de Mej.* l. 3. Comm. Phys. c. 4. Magni certè in loco dolores, etiam sine vermibus, excitantur à quavis materia acri & pungente, quæ vermes imitatur. Hinc vermina dicuntur *Festo* dolores corporis cum quodam minuto muto, quasi à vermibus scindatur, qui dolor dicitur Græcè σκώληξ. tales σκώληκες perpetui Tisameni mulierem excruciebant apud *Hippocratem* 3. Epist. 26. qvem illustrans in selectis Medicis c. 8. *Joh. Ant. van der Linden* §. 43. distingvit dolorem torminosum à verminoso, illum utrique intestino esse communem hunc

colo proprium. Cæterum phthiriasin si quis Herodi assignaverit, non repugnarim. Neque enim meliora fata fastus ejus merebatur, dignus tormentis Acridophagorum, de quibus *Diodorus Siculus* l. 4. Rer. Antiq. Nam propinquante senecta pediculi alati nō solum visu varii, sed specie horridi ac turpes in corporibus nati, ventrem primò, tum pectus, deinde totum corpus parvo tempore exedunt; qui morbum patitur primum veluti scabiei cujusdam pruritu allectus, corpus scalpit, voluptate simul & dolore perceptis, deinde exeuntibus pediculis simul effluente sanie, morbi acerbitate ac dolore percitus ungvibus corpus magno cum gemitu lacerat, tanta verò vermium copia effluit aliis super alios tanquam ex perforato vase scaturientibus, ut deleri nequeant. Illi quidem ciborum vitio, hic Dei quoque vindicta periit. De simili morbo Antiocchi vide *Josephum Gorionis*. Ferchardus Scotorum Rex morbo pediculari corpus exedente obiisse ob tyrannidem narratur à *Buchanano* l. V. Hist. Scot. Et fama est *Philippum* II. Hispaniarum Regem similia passum esse. De quo tamen inter se non conveniunt Annales

nales istius temporis. Quicquid sit tam vermes in corpore, quam pediculi ex proprio cujusque seminio in singulari putredine se exserente generantur. Singula enim animalia suos habent vermes, imò singulæ arbores, adeo diversos, ut hujus arboris vermes ad aliam translatæ supervivere non possint.

XXIV.

De D. Pauli dolore pungente.

2. Corinth. 12.

PUgnis se contundi queritur, seu digitorū condylis, sicut κόλαφον ex Varino explicat *Matth. Martinius* in Etymologico. An hi dolores vagi fuerunt, qui caput variis rebus intentum inquietabant? An capitis dolores exinde orti? Singularis hiç est *Haymon* Episcopus Halberstadiensis, quem sub Ludovico pio Caroli Magni filio mortuum Anno Domini 1334. testatur *Johannes Tritheimius* Abbas Spanheimensis. Is in interpretatione hujus loci colaphum de ardore libidinis per Diabolum

abolum accenso potius exponit, quam de dolore capitis. Quia paucorum manibus teritur, ipsum loquentem inducam: Ne in superbiæ tumorem extolleretur, permissus est tentari à Diabolo de ardore libidinis, quem appellat stimulum carnis. Ut enim dicunt Doctores, stimulus proprie timoris & libidinis est, ipsumque stimulum carnis à quo pungebatur & accendebatur, vocat angelum Satanæ, id est, nuntium *Diaboli*, quia à Diabolo immittebatur ei illa talis stimulatio concupiscentiæ. Et quandocunque Apostolus patiebatur illam stimulationem, *sciebat illam* à Diabolo sibi immitti. Sed Dominus, qui permittebat illum colaphizari, id est, affligi & tribulari à tentatione Diaboli, ne in superbiam erigeretur, cognoscendo suam fragilitatem, ipse utiq; custodiebat eum, ne in vitium libidinis caderet. Unde apparet, quia per venenum fugabat venenum. Venenum libidinis & tentatio carnis, fugabat ab illo venenum superbiæ. *Syriaca* versio vocat pruritum carnis, nuntium Satanæ. *Æthiopica*: pungit me in corpore meo. *Chrysostomus* homil. 26. & *Theophylactus* Comm. in h.l. Cephalalgiam repudientes quia

ipse imperium in Satanam habebat, adversariorum tribulationes, Alexandri ærarii, Hymenæi & Phtleti eum expertum scribunt, siquidem Satan Ebræa lingua adversarium sonat. Inquietudinem & tormentum corporale plerique exponunt. Iliacam passionem à Satana concitatam. *Nicolaus de Lira* in Comment. vel carnis concupiscentiam.

XXV.

Timothei infirmitates vino ὀλίγῳ curandæ.

1. Tim. 5.

DYspepsiam & cæteras infirmitates Timothei juvenis à frigiditate & humilitate ventriculi rectè deduxeris, quæ mala auxere assiduæ officii demandati lucubrationes, quibus vino succurrit *D. Paulus* sed λίγῳ. Quale illud fuerit, non satis convenit inter eruditos. *Henricus Smetius* lib. XI. Miscell. Med. prolixus est in explicatione consilii Apostolici, tandemque concludit, non ὀλιγοφόρου, quod non calefacit, sed πολυφόρου, fuisse, sapore sub austrum, quod laxum stoma-

chum firmat, vel etiam subacre, quia potentius, substantia mediocri, perspicua, vel tenui, qui facilè penetrat, urinasque movet, adeoque Chio aut Lesbio, aut Ephesio, aut etiam Timolite vino sed modico usum Timotheum adversus ventriculi imbecillitates. ὀλίγου de quantitate hujus quidem opinione, accipiendum, non de imbecilli, aut vino aquoso. Decolato seu debili, emendat textum *D. Gregorii* Doctissimus *Mercurialis* l. 6. Var. Lect. c. 29. quasi vir beatissimus instar Timothei illius ob stomachi debilitatem, vina debilia & juscula non sustineret, sed validioribus indigeret, ob idque primum sumeret Coum, deinde Gnidium Quantitatem hic definit Apostolus, ne generosi vini copia caput invaderet. *Chrysostomi* eadem sententia homil. 16. in h. l. *Licet* inquit, *ille & stomacho & aliis morbis esset obnoxius; non tamen ipsum vino permittit implere, sed ad sanitatem, non ad delicias præcipit bibere.* Ita quoque Italicè reddidit *Deodatus, un poco divino.* Parum vini, seu modicum. Ad robur ventriculi & aliarum partium requirebatur vinum generosius, non oligophorum nec dilutum, quod ex *Hippocratis* de Rat. Vict.

Vict. Acut. pro reficiendis viribus inutile, stomachumque refrigerat potius quam calefacit. Dulcia vina ad anadosin ventriculi confortandam & digestionem commendat *Galenus* l. 3. de Alim. Facult. Flava quoque alba, odora, substantia tenuia ad succi bonitatem conferre (πίψαι) roborare, docet *idem* l. 4. de Sanit. Tuend. c. 6. Sed modum servare vult Apostolus. Ei enim, ut optimè ex *Ruffo Oribasius* l. 6. Collect. Medicin. c. 7. qui moderatè bibit vinum & voluptatem & humanitatem & bonam valetudinem affert. Consultissimus *Erneſtius*, Amicus noster, dum vixit, honorandus, l. 2. Observ. c. 4. ὀλίγον οἶνον mavult de qualitate vini, quam de quantitate: ὀλίγον enim significare apud probatos Scriptores, *parvum, exilem, & tenuem* juvare quoque magis stomachum vinum ὀλιγόφορον & exile, quam vinum generosum, quod difficilioris sit concoctionis. Difficile tamen trahor in istam explicationem, cum ὀλίγος apud Græcorum Principem, quem ipsi Vir Doctus affert, non qualitatem, sed quantitatem notet. Nam ἄνθρωπος ὀλίγος *Iliad.* β. parvus homo est, & ὀλίγη τράπεζα Odyss. 5. parva mensa Quantitas & hic & ibi hominis & mensæ

determinatur, neutiquam qualitas, quæ in magnitudine vel exilitate non consistit. Generosum autem vinum, si ὀλίγον fit, vel modicè sumatur, stomacho onerosum non est. Cæterum de vini qualitatibus consulendi *Fr. Anton. Caserta* Tr. de Nat. & Usu Vinor. *Petr. Andr. Canonherius* de Adm. Vinor. Virtut. *Phil. fac. Sachs* in Ampelographia, ut alios præteream. Singularis etiam hic est *Haymon* sed in modico vino consentit. *Ex* cujus sententia à vino non debuit abstinere Timotheus, ne infirmaretur amplius, si assvetis abstineret, adeoque non posset postmodum divino operi insistere, ideo jubetur vino modico uti, quoniam si vinum cum temperantia & sobrietate quis biberit, levamen corpori præstat. Sed aberrat à linea rubricæ. Aquam enim ante bibisse indicatur v. 19. non vinum, quod tunc sanitatis gratia concedebatur. Quærit denique *Haymon*, quare Patrem Publii dysenteria laborantem solo verbo sanat Apostolus, & discipulum suum Timotheum non sanat nisi per vinum. Respondet, illum infidelem miraculo debuisse sanari hinc minimè, *Theophylactus* nescio quid infert, ut homines eos esse credamus.

damus. Seqvutus verò est Paulus Magistri sui vestigia, qui subinde solo verbo & contactu, subinde, additis remediis naturalibus cœcos aliosque restituit. Magni enim artificis, est varia artis suæ specimina ostentare, & Medici, curandi rationem nonnunquam immutare.

XXVI.

De præputio adducendo.

1. Cor. VII, 18.

Circumcisus quis est, μὴ ἐπισπάσθω, ne adducat præputium. Vel id voluptatis gratia factum, vel elegantiæ. Voluptatem enim majorem Ebrææ fœminæ hodieque deprædicant, si cum homine concuberint, cui vel nunquam præputium defuit, vel arte resarcitum est. *Rabbi* qui scripsit Librum *Aruch* ad locum Jerem. 9. Ecce prope adsunt dies, cum animadvertam in omnes qui circumcisi sunt cum præputio: ii sunt, inquit, qui postquam circumcisi essent, præputium attraxere. Tales Ægyptii, qui circumcisi erant vivente Josepho, sed eo defuncto odio gentis adduxisse sibi arte quadam præ-

præputia, ne quidquam commune haberent cum Israelitis. Sed hunc refellit *Petr. Cunæus* l. 3. Rep. Ebr. c. 5. mansisse enim circumcisionis morem postea apud Ægytios testatur *Herodotus, Strabo, B. Hieronymus.* Locum hunc *Dn. Pauli* idem *B. Hieronymus*, eumque secutus *Haymon*, de cœlibatu explicat: non enim esse potestatis nostræ præputium adducere post circumcihonem. Sed opponit *Cunæus* Medicorum consensum & historiarum fidem. Nam in Macchabæorum libris scriptum est, filios Tobiæ feciſſe sibi præputia uti Græcis essent similes, cujus certus est author quoque *Fl. Josephus.* Hinc abripuit *Hieronymum & Haymonem* cælibis vitæ amor nimius. Ex Medicis suppetias ego feram. Brevitas præputii quomodo corrigatur per membranam additam vel sectione circa scrotum prolixè tradit *Fallopius* l. de Decorat. cap. 9. & ante illum *Æginetа* l. 6. R. M. c. 53. quam tamen operationem raram ait, qvumneq; functionis aliquam difficultatem hæc affectio inducat, neque ita decorem vitiet ut hujus chirurgiæ tormentum subire quis sustineat. In eo qui circumcisus est tegendæ glandis modum describens *Celsus* l. 7. c. 25. sub circulo glandis

dis scalpello deducit cutem ab interiore cole, resolutã autem cutẽ rursus extendit ultra glandem, tum multa aqua frigida fovet emplastrum q; circa dat, qvod valentem inflammationem reprimat: Ubi jam sine inflammatione est, deligat à pube usqne circulum, super glandem autem adverso emplastro imposito inducit, c sienim fit, ut inferior pars gludinetur, superior ita sanescat ne inhæreat. Non aliter *Galenus* l.14. Meth.Med. c. 16. si chrurgia curetur. Alios tamen modos annotat & solam tensionem addita membranula molli fimaque cum gummi agglutinata, & thapsia. Mysticum sensum approbat *Rhodius* noster Dissert.de Acia c.6. contra quem quæ in Epistola quadam ad summum Medicum *Joh.Casp.Bauhinum* disputat ex Hebræorum antiquitatibus harum rerum peritissimus *Johannes Buxtorfius* Filius, huc transscribam, ne hac eruditione privetur Lector, pereatq; inter blattas & tineas meas privata hæc ad amicum scriptio.

Pag.72.& seqq. quædam habet de præputio. *Num illud abscissum iterum recrescere vel reduci queat?* & in Negativam sententiam descendit. Hinc locum Pauli 1.ad Cor. 7. 18. & 1. Mac. 12. cum aliis mysticè expo-

exponit, & præterea hanc sententiam Rabbinis illic à se consultis probari scribit, qui negant, apud majores suos talis artificii memoriam deprehendi. Nolo Medicè quæstionem illam disputare: si tamen, quæ ex Hebræis ea de re à me observata sunt, legere non pigebit, in dubium ni fallor, vocari illi poterit; saltem liquebit, Rabbinos illos quos D. Rhodius contulit, rerum suarum imperitissimos fuisse. Nam plurima passim & infinitis in locis leguntur apud Hebræos de ejusmodi Præputium attractum vel reductum habentibus.

Primo itaque vocant talem מָשׁוּךְ Maschuch, i.e. *Attractus*, *Attractum præputium habens*, *Repræputiatus*; cum scilicet hoc vocabulo designantes, qui vel per artem sibi præputium restituit, vel, cui exnaturæ singulari vigore recrevit. Exempli gratia: In Tractatu Talmudico qui vocatur Jevammoth fol. 72. scribitur quod ex sententia Rabbinorum *Maschuch* i. e. attractum vel reductum præputium habens non possit comedere de honoraria oblatione, eò quod similis habeatur præputiato seu nunquam circumciso. Ibidem sequitur; quod ex statuto Rabbinorum

rum *Maschuch* denuò sit circumcidendus Item, Gen. 17. 14. ultimis illis verbis: *Fœdus meum irritum reddidit*, comprehendi etiam משך *Maschuch* qui præputium sibi reducit &c. In Talmud. Hierosolymitano Tractatu Jevammoth. c. 8. vox *Maschuch* ita explicatur, מאלוה משך לואחר ערלה או שכמשכרת h. e. *sive alius quis attraxerit ipsi præputium* (sc. per artem) *sive attractum fuerit à seipso* (i. e. natura reereverit) Ex quibus verbis satis manifeste liqvere videtur, in hac sententia priscos fuisse Hebræos, quod præputium tum per artem, tum naturaliter recrescere & reduci queat. R. Moses Ægyptius in Tractatu de Pœnitentia recenset inter eos, qui nullam habent partem in seculo futuro, etiam eum, *qui attrahit præputium suum*.

Secundò varia producunt Hebræi exempla talium Repræputorium; primo scribunt, *Achanem*, de quo Josuæ 7. fuisse משוך כערלתו *attracti præputii*, in Talmud. Tractatu de Synedrio fol. 44. 1. *Secundò* in libro *Jalkut* fol. 63. col. 1. scribitur ad locum Jeremiæ 9. *Et visitabo super omnem circumcisum cum præputio*, cap. 9. 25. intelligi eos, qui circumcisi fuerunt, & præputium sibi reduxerunt. Ibidem scri-

scribunt de Ægyptiis, quod fuerint circumcisi tempore Josephi, sed eo mortuo sibi præputium reduxerint &c. Iterum in libro Jelammedem scribitur de Jehojakimo, quod sibi retraxerit præputium, ad locum 2. Chron. 36. vers. 8. *Tertio*, tempore falsi Messiæ Ben Cosibe, qui vixit 52. annis post excidium Templi, fuisse multos tales qui tunc denuò fuerint circumcisi, legitur in utroque Talmud Babilonyco & Hierosolymitano, & inter cætera: *Multi cum attracto præputio fuerunt in diebus Ben Cosibæ, qui omnes fuerunt denuò circumcisi, & vixerunt, & generunt postea filios & filias.*

De modo quo hæc præputii Retractio facta fuerit, fateor me pæne nihil reperire; nisi quod R. Salomon ordinarius glossator Talmudicus ad locum de Achane supra productum scribit his verbis: *Attraxit* (Achan) *pelliculam membri sui jugitur, donec augeretur, id est recresceret, obtegeretq; caput membri, ut non appareret* (Achan) *circumcisus esse.*

Quod Epiphanius lib. de Mensuris & Ponderibus scribit; *Hanc autem traditionem Diabolici inventi, Esau fratrem Jacobi reperisse ajunt* ad abnegationem DEI, & ad

& ad Delectionem characteris patrum ipsorum, de eo hactenus in Hebræorum libris nihil ego observavi.

Quam benè, aut quam verè singula, quæ ex Hebræis produxi, ab illis dicta sint, non attingo. Saltem liquet hinc; 1. Artificii hujus memoriam apud antiquissimos Hebræos extare 2. eosdem statuisse, tum arte, tum naturâ præputium redire posse. 3. non improbabile esse Paulum 1. ad Corinth. 7. 18. dum ait: *Circumcisus aliquis vocatus est, ne reducat præputium*, ad has Hebræorum res & phrases respexisse, adeoque literaliter non mysticè *illa verba intelligenda esse*; eò quod res tum inter *Judæos & Pharisæos* (quorum Sectæ etiam Paulus *in Judaismo* erat) satis nota erat, & a multis temporibus inter eos quidem usurpata, sed non approbata. Unde & Apostolus eam vetat iis qui ex Judaismo ad Christianismum convertebantur, quasi probrosa ipsis in Christianismo futura esset circumcisio: Circumcisio enim nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei 4. hoc sensu etiam accipiendum esse locum 1. Mach. 1. 12. & apud Josephum Antiq. Judaicar. lib. 12. 6. quem locum nimis

obiter

obiter & superfunctoriè à D. Rhodio perstringi arbitror: quia expressè dicitur; Quo impetrato, adduxerunt sibi præputia, quæ est ipsissima phrasis Hebræa, מָשְׁכוּ לָהֶם עָרְלֹתָם *Attraxerunt sibi præputia.* Quod verò Hebræi intellexerint per *Attractionem præputii*, non occultationem circumcisionis, sed pelliculæ reductionem, ex superioribus patet. Nam dicunt expressè; Tales iterum circumcidendos esse: Esse eos, qui circumcisi fuerint; & præputium sibi retraxerint; haberi pro præputiatis; esse ejusmodi attractionem, qua membrum iterum obtegitur. An verò hæc omnia verè *ab illis* dicantur, in medio relinquo. Apud me certè extra dubium est, loca illi Pauli, Machabæorum, Josephi, ex mente Hebræorum intelligenda esse; & inde valdè dubito, nun loca illa apud Dioscoridem & Cornelium Celsum aliter sint accipienda.

Multa etiam apud Hebræos mentio est illorum qui *naturâ sunt recutiti*: Infantem ita natum vocant קטן שכורת משהוא מהול *Parvulum qui circumcisus natus est.* Tales scribunt fuisse Mosem & Davidem. Disputant etiam, qua ratione tales sint circumcidendi.

XXVII.

XXVII.

Curætio Morborum per oleum apud veteres Christianos.

Jacobi V. 14. ungi jubentur ægri oleo in nomine Domini. Remedii genus erat primis seculis, dicebaturque *oleum infirmorum*, quod ad sanandos ægros usitatum, postea ad Sacramentum quoque translatum est. Medicamentum fuisse, contra aliter sentientes, ex *Concilio Niceno* Primo Canone 68. Arabico fit manifestum. Ita enim Patres ibidem Conscripti, Transacto anno, debet Sacerdos benedicere aquam & oleum, non sicut fit in Baptismo, neque sicut benedicitur Chrisma, sed sicut *oleum infirmorũ*, & sicut aqua ad mundationem immunditiei eorum, qui comederunt morticinium. Junguntur in *Canone* aqua & oleum, quia etiam aqua consecrata ad sanandos morbos utebantur. Per Ansgarium Episcopum Hamburgensem plures, ut aquâ Baptismi loti sunt, ab omni corporis infirmitate liberatos scribit *Adamus* Bremensis l. 1. Hist. Eccl. cap. 25. Nec mirũ sanandi facultate oleum illud benedictum pollere, cum salem etiam miscerent veteres, quod passim liquet. Non quidem

sal Sacerdotale huc spectat, quo utebantur antiqui Sacerdotes in diebus Prophetæ Eliæ in variis morbis. Novitium quippe est, nomen mentiens. Tale tamen in antiquis membranis Mantuanis legitur A. C. 1448 scriptis: R. Salis communis Unc. 16. Cinam. Drach. 4. Sinz. pip. amon. pyrethr. cimin. aneth. siler. mont. satur. hyssop. origan. Puleg. æq. pond. Unc. 1. redigantur in pulverem, & serventur usui, sed olei infirmorum Christiani Patres alii passim meminerunt. In primo seculo *Clemens Romanus* lib. 8. Constit. Apost. c. 29. si Episcopus non adest, benedicat Presbyter præsente Diacono. Dicat autem, in hunc modum Domine Sabbaoth, Deus virtutum, qui dedisti aquam ad bibendum & oleum ad exhilarandam faciem in exultationem lætitiæ, ipse etiam nunc sanctifica per Christum hanc aquam & oleum, ex nomine ejus qui obtulit, & tribue ei *vim sanandi* & depellendi morbum, fugandi Dæmones, expellendi insidis per Christum spem nostram. *Ephræm* Syrus, qui vixit tertio seculo sub Valente, de Vit. Spirit. punct. 75. si charitatis officio perfungens, *oleo ægrotantem inungis*, fac oculos, manus, linguasque custodias. *Hieron-*

ronymus quarti seculi Doctor in vita Hilarionis narrat Constantiæ Sanctæ fœminæ generum & filiam Hilaronis unctione olei à morte fuisse liberatam, universosque agricolas & pastores à venenatis animalibus & serpentibus percussos ad Hilarionem confugisse, quo benedicto oleo vulnera rangente, certam salutem resumtam esse. Interea tamen etiã ab hæreticis adhibitus ille nngendi ægrotos ritus, sed depravatus. Nam Valentiniani hoc nomine damnantur ab *Irenæo* seculi secundi Patre l. 1. adv. hæretic. c. 18. quod mittant super caput oleum & aquam eorum qui sacrantur; ungere verò balsamo, sive, ut interpretes Latini omnes reddunt, opobalsamo. Alios etiam damnat, qui mortuos redimunt ad finem defunctionis, mittentes eorum capitibus oleum & aquam, invocationibus vocum perigrinarum. Ad quem locum annotat *Fr. Feu-Ardentius*, non damnari ungendi ritum, sed quia verbis, quibus non decebat, utetentur. Solo nomine Domini consecravit prima Ecclesia *Jacob.* 5. 4. Eodemque modo ordinariam medicinam ungendo faciebant Apostoli *Marc.* 6. 13. Quo nomine sancto hodieque Medici Christiani suas curatio-

nes auspicantur & perficiunt. Inter Judæos unctatam olim unctionem medicatam *Ligtfootius* ad cap. 6. Matth. ex Rabbinis probat. Nam in *Bap. Joma* fol. 77. 2. Traditio est Rabbinorum: Prohibitum est (in jejuniis) lavare partem corporis, æquè ac totum corpus: si verò sit luto aut stercore fœdatus, lavet pro more, & ne sit sollicitus. Prohibitum enim est ungere partem corporis, æquè ac totum corpus: at verò si ægrotet, aut si capite exoriatur scabies, ungat pro more. Credo ego unctionem istam à Medicis primo ad Theologos manasse. Antiquissimis enim temporibus Athletæ oleo ante exercitationes ungebantur, ad exsolvendam lassitudinem, *Galeno* judice l. 6. de Tuenda Val. c. ult. vel ad membra flexilia reddenda. Post balnea quoque sanitatis gratia oleum impediebat frigidi aëris ingressum, & ne siccarentur partes quas balneum emolliverat. De universa hac ungendi in exercitationibus ratione dato studio egit *Mercurialis* lib. 1. Art. Gymn. c. 8. in morbis quid unctiones præstent, ex Herodoto docet *Oribasius* lib. 10. Collect. Medic. c 27. Cum sale & oleo affrictus insitum calorem auget, & quod præter naturam est, discutit,

tit, recrementaque consumit, & affecta membra robustiora facit, ac adversus affectionem firmat, ut præclarè *Aetius* tetr.3. serm.4. c.21. De unctione capitis in ejusdem affectibus cautiones necessarias *Celsus* tradit l.2.c.4. ante balneum & post sudorem observandas. Qui cap.14. distinguit frictionem ab unctione; ungi enim leviterque pertractari corpus, etiam in acutis & recentibus morbis oportet, in remissione tamen & ante cibum. Ante omnes *Hippocrates* antiqvus Divinusq; Magister artis libr. 2. de Vict.Rat. de unctione calefaciente humectante & emolliente verba fecit. *Galenus* licet posterior, unctionem passim commendat in ventriculo roborando, in febribus, & in aliis, quæ apud illum legi possunt. Baptismi unctionem ex Paganismo quoque traductam consentit *Jonas Porreq* in Tr. Gall.de Cerem.Antiq.ad athletarum imitationem, ut contra mundum luctarentur baptizati. Præivit *Chrysostomus* Hom.6. c.ad Coloss. Ungitur baptizandus more Athletarum, qui stadium jam ingressuri sunt. Et *Ambrosius* l.1.de Sacram. c.2. Unctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen hujus seculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina. Cæ-

terum de unctione in baptismo differere, nostri non est instituti. Ritum istum fusius describit *Dionysius Areopagita* cap. 2. Eccles. Hierarch quod ungventi mysterium, seu μύρῳ τελετῶ postea cap. 4. persequitur. De his aliisq; unctionibus videndus *Stachius* in Libris Eleochrismaton; quanquam valdè parcus sit lib. 2 c. 22. in oleo sanitatis. Plura congessit *Jo Bapt. Casalius* de Ver. Sacr. Christ. Ritibus cap. 32. Coronidis loco afferre lubet de Chrismatis & olei sancti duratione Statutum *Lagonis Urne* Episcopi Roschildensis, Stat. synod. A. C. 1517. editis quia à paucis visum & lectum: *Præcipimus*, inquit, *quod singuli sacerdotes Parochiales, in die parasceves singulis annis vetus chrisma & oleum sanctum, quibus ultra annum uti non liceat, in suis Ecclesiis concremabunt. Et tunc sive proximis diebus paschalibus, si ab Ecclesia nostra Cathedrali remoti fuerint, ipsi vel eorum unus ex singulis Provinciis deputandus, novum chrisma à sacristano ejusdem Ecclesiæ nostræ Roschildensis humiliter petant & in vasis mundis & decentibus custodiendum reverenter suscipiant, sub pœna 4. Florenorum sicut antiquitus est observatum.* Ratio edicti hæc sine dubio fuit, quod

quod oleum rancidum fiat nec ita ad usus commodum, si vetustatem habeat. *Saladinus* olea cum incipiunt rancida fieri, nullius usus pronunciat. *Petri Castelli* tamen sententia l. de durat. Medicam. pag. 40. oleum rosatum diligenter compositum duos annos fert. Et *Dioscorides* lib. 1. c. 30. vetustius ad medicamenturum usum accommodum censet. Sed de oleo candido c. 32. profitetur anniculo vetustius esse non debere. Vetustius plerumq; in septentrionem affertur. Et in chrismate suo Patres nostri non tam ad usum medicum quam ad svavitatem attenderunt, quæ vetusto oleo rarius inesse solet.

INDEX.

Miscellaneorum *De Morbis Biblicis.*

I. De somno Adami, an Ecstasis vel Lethargus pag. 1.
II. De Jacoba claudicante. pag. 3.
III. Uxor Lothi in salem conversa, p. 5.
IV. Manus Moysis arida. p. 8.
V. De facie Moysis immutata. p. 10.
VI. De morsu serpentum venenato ejusque medicina. p. 23.

VII. Jo-

VII. Jobi morbus excutitur. p. 33.
IIX. De Lepra Judæorum. p.46.
IX. Senis Davidis remedium. p. 54.
X. Ezechiæ curatio perficum. p.56.
XI. De Regis Asæ arthritide. p. 58.
XII. Jorami morbus inteſtinalis. p.59.
XIII. Nabucodonoſoris Mania ſeu melancholia. p.62.
XIV. De piſce, in quo Jonas ſepultus. p.76.
XV. Tobiæ cœcitas curata. p. 69.
XVI. De Puerperio B. Mariæ p. 71.
XVII. Sangvinis profluvio laborans fœmina in Evangelio. p. 72.
XIIX. Epilepticus in Evangelio. p.74.
XIX. Dæmonio obſeſſi in Evangelio. Ubi de Annulis Narium apud Ebræos p.77.
XX. Cœcus luto curatus. p. 88.
XXI. Lazari Morbus. p. 90.
XXII. De Hypochondriaci Judæ morbo p. 91.
XXIII. Herodes verminoſus. p. 95.
XXIV. De pungente Div. Pauli dolore. p.99.
XXV. Timothei infirmitates vino ὀλίγῳ curatæ. p.105.
XXVI. De præputio adducendo. p.105.
XXII. De curatione per oleum p. 103.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767039416/phys_0132
DFG

Fr. Keppien,
Buchbinder
in
ROSTOCK
bey der Marien-Kirche.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767039416/phys_0135
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn767039416/phys_0136
DFG

ronymus quarti ſeculi Doct a-
rionis narrat Conſtantiæ S æ
generum & filiam Hilaro
olei à morte fuiſſe liberata s-
que agricolas & paſtores à i-
malibus & ſerpentibus per a-
rionem confugiſſe, quo ben ul
nera rangente, certam ſalu m
eſſe. Interea tamen etiã ab i-
bitus ille nngendi ægrotos r a-
vatus. Nam Valentinian he
damnantur ab *Irenæo* ſeculi re
I. 1. adv. hæretic. c. 18. quod er
caput oleum & aquam eor n-
tur; ungere verò balſamo r-
pretes Latini omnes reddu a-
mo. Alios etiam damnat os
redimunt ad finem defunct n-
tes eorum capitibus oleum n-
vocationibus vocum perig Ad
quem locum annotat *Fr.* s,
non damnari ungendi ritu r-
bis, quibus non decebat, u o-
lo nomine Domini conſecr c-
cleſia *Jacob.* 5. 4. Eodem q li-
nariam medicinam ungenc A-
poſtoli *Marc.* 6. 13. Quo to
hodieque Medici Chriſtian o-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn767039416/phys_0137
DFG